



Crimen Fori Ecclesiastici

Seu Decretalium Gregorii IX. Pont. Max. Liber V ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem Expositus, In quo praecipuae circa Materiam hujus Libri Quinti, quae tum in Theoria, tum in praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & horum solutionibus

Accedunt duo Indices, unus Titulorum initio Operis, alter rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1727

VD18 13510827-001

Titulus VII. De Hæreticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75232)

& videtur istud probari 1. quia, ut n. 42. dictum est, Infideles non possunt compelli ad suscipiendum Baptismum. sed Verbum DEI, seu Evangelium audire directè tendit ad Fidem amplectendam. ergo &c. 2. Papa, & Principes Catholici in Judæos, & alios Infideles, temporali Jurisdictioni suæ subjectos, non habet aliam potestatem, nisi merè Politicam, & ad finem Politicum, & naturalem. at auditio Legis Evangelicæ ad finem supernaturalem dirigitur. ergo &c.

57 Sed affirmativam communiter docent TT. & Canonistæ, præsertim Innoc. in c. quod super n. 8. de Vol. Turrecrem. in c. si aut Judæi 9. b. tit. pr. Bannez 2. 2. q. 10. art. 10. dub. 3. Azor p. 1. l. 8. c. 24. q. 3. Suar. D. 18. sect. 2. n. 3. Scott. in sect. Epit. 136. libror. 352. Bonacin. D. 3. de Fid. q. 2. p. 7. n. 3. Vincent. Petra tom. 3. comment. fol. 468. n. 6. & constat ex Const. 92 Gregorij XIII. ubi omnibus Ecclesiarum Prælati præcipitur, ut in quibuscunque Civitatibus, & locis, in quibus competens numerus Judæorum, qui Synagogam constituat, commoratur, Sabbati, vel alio die uniuscujusque hebdomadæ pro eorum conversione prædicationem ha-

beri curent, cui sub poena privationis commercij cum Fidelibus, aliisque arbitrarijs tertia pars Judæorum utriusque sexûs à duodecimo ætatis anno, & suprâ interfint: idemque etiam quandoque servari curârunt Principes sæculares, ut de Jacobo Arragonum Rege ex Ricciol. refert Petra l. cit. n. 7. in fin.

Neque obstant Argumenta contraria, 8 Ad 1. per coactionem directam ad Fidem infertur Infideli coacto injuria, ut ostensum est: non autem injuria infertur coacto ad audiendum Evangelium; quia hoc non præcipitur audiri, ut illud amplectatur Infidelis, sed solum, ut distinguat inter veram, & falsam Religionem, & ut possit veram eligere, falsâ contemptâ. Ad 2. præcipere Infidelibus subditis, ut audiant doctrinam Religionis Christianæ, ut eâ auditâ eligere possint Religionem, quæ sibi visa fuerit magis conformis rationi, non excedit potestatem Politicam, & temporalem Gubernatoris; aliàs nullus temporalis Gubernator posset subditorum peccata adversus Religionem punire, nec illos obligare ad media exequenda, ex quibus electio Religionis veræ fieri posset.

TITULUS VII.

De Hereticis.

TRia Infidelitatis Species, ut Tit. præc. n. 2. dixi, est *Heresis*, in hoc distincta à Paganismo, & Judaismo, quod sit pecca-

tum hominis baptizati, cum priores etiam in non baptizatos cadant.

S. I.

De Heresis Natura, Varietate, & Requisitis.

S U M M A R U M.

1. 2. *Heresis* definitio, & Divisio.
3. &c. In quo consistat ejus malitia?
5. &c. An *Hereticus* sit, qui dubitat de Fide?
9. &c. An ad *Heresin* incurrendam requiratur, ut ille, qui eam committit, sit baptizatus?
12. &c. Utrum *Hereticus* censendus sit, qui errat in Fide per ignorantiam?

17. &c. Qui discredat alicui revelationi sibi privatim factæ?
19. &c. An qui negat Propositionem Theologicam, deductam ex una propositione naturaliter evidenti, & aliter revelatâ?
22. &c. Quenam causa excuset à peccato *Heresis*?

Quæritur 1. quid sit *Heresis*, & quotuplex? 2. *Heresis* Græcum nomen, quod Latinis *Electio* significat, in communi Ecclesiæ acceptione in deterius sonat, & *Electio* non quamcunque, sed malam & erroneam circa Fidei doctrinam indicat. Duplex autem dividitur *Heresis*, alia *Materialis*, alia *Formalis*. *Materialis* est, quando quis non malo animo, aut ex pertinacia, sed ex simplicitate, aut defectu debitæ informationis, vel ex positivè sinistra informatione errat circa Fidem. *Formalis* est voluntaria, P. Schmalzgrueber L. V. T. 1.

rius, & pertinax error contra aliquam veritatem Fidei Christianæ in eo, qui hanc suscepit. Ita ad mentem S. August. contr. Faust. & S. Thom. 2. 2. q. 11. art. 1. eam definiunt Albertin. q. 1. n. 19. b. tit. in 6. Canus l. 12. de Locis c. 8. Farin. præx. crim. q. 178. n. 5. Azor p. 1. l. 8. c. 9. q. 1. Sanch. l. 2. mor. c. 7. n. 1. Suar. D. 19. de Fid. sect. 1. n. 5. & sect. 3. n. 8. Conink n. 18. dub. 7. Bonac. D. 2. de Censur. q. 5. n. 1. Laym. l. 2. tr. 1. c. 13. n. 1. Palao tr. 4. D. 3. p. 2. n. 1. Barbof. ad Rubr. b. tit. n. 4. Correa Ideâ Consil. D. 6.

Q 2

D. 6. n. 1309. Vincent. Petra tom. 3. comment. fol. 4. n. 2. Engl. hic n. 1. Pirhing n. 1. Schambog. n. 2. König n. 2. Wiestner n. 1. Reiffenstuel n. 3. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 3. n. 23.

Hæresis *Materialis* tantum est error intellectus; *Formalis* præter errorem intellectus ob. pertinaciam dicit etiam peccatum in voluntate: & subdividitur in *Internam*, seu *Mentalem*, & *Externam*. Illa est, quæ in mente retinetur, & nec verbis, nec factis externè manifestatur. *Ista*, quæ externè vigens, verbis, vel factis aliquo externo sufficienter exprimitur. *Ex quo sequitur*, Externam Hæresin sola expressione, per signum externum facta, à Mentali differre; nam in substantiali malitia cum illa convenit.

3 Quæritur 2, in quo consistat formalis malitia Hæresis? *Re.* ad hanc duo copulativè requiruntur, nimirum error in intellectu, & pertinaciam in voluntate. *Error intellectus* quidem; quia Hæresis est species Infidelitatis, quæ errorem intellectus contra veram Fidem importat. *Pertinacia* verò ex parte voluntatis; quia sine voluntate non est peccatum: hinc dicitur in Definitione *Error voluntarius*. Neque sufficit voluntarietas qualiscunque; sed juncta hæc esse debet cum pertinacia, prout affirmant DD. omnes cum S. Hieronymo *can. dixit 29. caus. 24. q. 3.* S. August. *no can. qui in Ecclesia 31. q. cit.* & Concil. Vienn. *Clem. 1. §. porro 1. de Summ. Trin.* Porro *Pertinacia* hæc, ad constituendam Hæresin requisita, non respicit, aut requirit formaliter durationem temporis, aut firmam persistentiam in errore, quidquid sit de foro externo; sed satis est, quod errans sciat, vel cognoscat contrarium teneri à vera universali Ecclesia: iudicium suum hujus iudicio præferat, & non obstante definitione Fidei, errorem suum retineat, quamvis in hoc non persistat per tempus; talis enim jam pertinax esse censendus est, cum resistat definitioni Ecclesiæ, & per illam non corrigatur. Sanch. l. 7. *mor. c. 7. à n. 2.* Valent. 2. 2. D. 1. q. 11. p. 1. *diffic. 4. ad 2.* Vasq. 1. 2. D. 126. n. 6. Conink D. 18. *dub. 7. n. 78. & à n. 93. & seq.* Palao *tr. 4. D. 3. p. 2. n. 1.* Maffrius *Theol. mor. D. 10. n. 24.* Correa *Idea Confil. D. 6. n. 1310.* Pirhing *hic n. 3.* Schambog. n. 3. Reiffenstuel n. 5. Neque refert, ut ex P. Vasq. 2. 2. D. 39. n. 4. Correa l. *cit.* addit, quod ita affectus sit, ut articulum Fidei amplecteretur, si à viro docto rationibus convinceretur; quia reipsa, non obstante definitione fidei, contrarium credit.

4 *Ex quo sequitur*, quinam dicendi sint Formales Hæretici, nempe illi, qui cum pertinacia modò descripra tuentur errorem. Neque ad hoc necessarium est, ut quis novæ Sectæ moliat initium, ut Hæresiarchæ, vel ut Sectam aliquam, ab Ecclesia damnatam,

sequatur; sed pro Hæretico etiam habendus ille est, qui privatim in aliquo etiam minimo, & unico articulo Fidei à veritate Catholica deviat, pertinaciter negando aliquid, quod vel in SS. Litteris expressum, vel à Summo Pont. aut Concilij Generalibus definitum est, quantumvis de cætero se ut Catholicum gerat, & hunc ipsum suum errorem inter alios disseminare non attentet. König *hic n. 7.*

Ratio est, quia cujusvis Hæresis tantum est pondus, ac momentum, ut quamvis minima sit, & unius tantum articuli, vel minimæ etiam partis articuli firmum assensum tollat, aut in dubium revocet, universam Fidem subvertat, propterea quod tolli quoad partem nequeat, nisi tollatur formalis ratio credendi, quæ cum in indivisibili posita sit, tota tollitur, quoties tota non est, aut aliquid illi deest, adeoque ut veridicè dici possit, quod reus in uno, factus sit omnium reus, Vincent. Petra tom. 4. *comment. fol. 5. n. 14.*

Imò pro Hæretico habendus est non solum ille, qui aliquem Catholicæ Fidei articulum absolute negat, sed etiam, qui de aliquo, sibi sufficienter proposito, dubitat positivè, pertinaciter affirmando eum dubium esse, ut cum S. Thom. 2. 2. q. 10. *art. 5. & q. 11. a. 1.* docent Abb. in c. 1. b. tit. n. 1. Sylv. V. *Hæresis 1. q. 3.* Canus l. 12. *de Locis c. 2.* Azor p. 1. l. 8. c. 9. q. 5. Sanch. l. 2. *moral. c. 7. n. 12. prop. fin.* Suar. D. 19. *de Fid. sect. 4. n. 10.* Tolet. *Summ. l. 4. c. 4. n. 7.* Conink D. 18. *dub. 7. concl. 6. n. 102.* Bonac. D. 2. *de Censur. q. 5. p. 1. n. 3.* Farin. *prax. crim. q. 178. n. 90.* Laym. l. 2. *tr. 1. c. 13. n. 5.* Palao *tr. 4. D. 3. p. 2. n. 9.* Barbof. in c. 1. b. tit. n. 1. Gonzal. *ibid. n. 3.* Correa *Idea Confil. D. 6. n. 1311. & seq.* Pirhing *hic n. 4.* Schambog. n. 6. Wiestner n. 2. Reiffenstuel n. 10. Magnif. P. Schmier p. 2. *de Delict. c. 3. n. 29.* & patet ex c. *dubius 1. b. tit. c. firmiter 1. de Summ. Trinit. Clem. 1. §. porro eod.* & definitum est in Concil. Lateran. celebrato sub Leone X. *sess. 8.* Consentunt S. Athanasius in *Symbolo Fidei* ibi: *Nisi fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit;* S. Augustinus in *Enchir. c. 7. & 19.* ubi ait, salva Fide, non posse usurpari particulam fortè in rebus Fidei, & apertè indicat S. Jacobus Apostolus in Epistola Catholica c. 1. v. 6. ibi, *In Fide nihil bastans.* Ratio est, quia ex Fidei Catholicæ articulis unus, siquæ fundamentalis est, eam esse certam, & infallibilem. igitur de uno aliquo articulo positivè, & pertinaciter dubitans, errat contra aliquam Catholicæ Fidei Veritatem.

Dixi autem 1. *qui dubitat positivè.* Aliud est, si quis negativè tantum dubitet de articulo Fidei, quia suspendit omne iudicium, ita, ut neque assentiatur objecto proposito, neque etiam dissentiat, quod nec iudicet esse certum, neque etiam incertum; talis enim non habet iudicium ullum de articulo Fidei proposito, adeoque nec errorem

rem contrarium Fidei habere potest, modò tamen non suspendat iudicium circa objectum, seu articulum Fidei, eò quòd virtualiter, & implicitè iudicet eum esse incertum, & dubium: tunc enim intellectus sic dubitans non habet se merè negativè; quia ideo objecto sibi proposito assentiri non vult, quòd ipsi incertum, & dubium esse videatur: ac proinde saltem implicitè, & virtualiter iudicat, incertum esse objectum, seu articulum Fidei propositum. Laym. l. cit. n. 5. Pirhing n. 4. Schambog. n. 6. Correa n. 1315. § seqq.

⁷ Dixi 2. de articulo sibi sufficienter propositò; nam is, cui veritas Fidei Orthodoxæ nondum est sufficienter proposita, quia inter A catholicos natus, & educatus, aut nihil, aut fallà tantum de vera Fide percepit, non peccat contra Fidem, etiam si de articulis veræ Fidei dubitet, & iudicet illos esse incertos, donec instruat, & argumenta, seu motiva Fidei Catholicæ ipsi fiant evidenter credibilia: ideoque talis non est Hæreticus, nisi materialis; quia in ipso dubitatio, vel iudicium sive expressum, sive implicitum procedit ex ignorantia, ideoque non est iunctum cum pertinacia, quæ non potest simul consistere cum ignorantia. Pirhing num. 4. cit. König num. 12. hic Quare cum in c. dubius 1. h. tit. dicitur, *Dubius in Fide infidelis est*, & conf. etiam Hæreticus, si baptizatus sit, id intelligendum est de eo, qui non merè negativè, sed positivè dubitat iudicando expressè, vel saltem implicitè talem articulum esse incertum. Pirhing n. 5.

⁸ Dixi 3. pertinaciter affirmando; nam ut dubitans in Fide censeatur esse Hæreticus, requiritur, ut in tali dubitatione habeat firmitatem animi, sive iudicij, & quandam pertinaciam, ita, ut in dubitatione illa contumaciter perseveret. Joan. Andr. in c. 1. h. tit. n. 1. Clar. §. Hæresis n. 2. Pirhing hic n. 5.

⁹ Quæritur 3. an ad Hæresin incurrendam requiratur, ut ille, qui eam committit, sit baptizatus? Certum satis est 1. Baptismum non requiri ad hoc, ut aliquis reus sit Hæresis coram DEO. Palao tr. 4. D. 3. p. 2. n. 20. quia tota Hæresis malitia sita est in dissensu alicujus veritatis à DEO revelatæ, & sufficienter propositæ. atqui hunc dissensum habere potest etiam ille, qui nondum est baptizatus, ergo &c. Conf. juxta dicta Tit. præc. n. 1. tres tantum species Infidelitatis sunt, videlicet Paganismus, Judaismus, & Hæresis, atqui is, qui ante Baptismum confiteretur Christum, tanquam generis humani reparatorem, & negat ejus Sacramenta, non est Paganus, nec Judæus, ergo Hæreticus.

¹⁰ Certum satis est 2. Ut Hæresis peccatum punibile sit ab Ecclesia, requiri, ut ejus reus sit baptizatus. Azor p. 1. l. 2. c. 9. q. 3. Suar. D. 21. de Censur. sect. 2. n. 4. &

D. 19. de Fid. sect. 5. n. 8. Sanch. l. 2. mor. c. 7. n. 34. Farin. prax. crim. q. 178. n. 128. § seqq. Palao n. 20. cit. v. at licet, Pirhing hic n. 6. Schambog n. 4. § 7. Wiestner n. 3. Ratio est manifesta; quia Baptismus est janua, per quam in Ecclesiam quis ingreditur, & ejus Jurisdictioni subditur: & hinc Trid. sess. 14. c. 2. de Pœnit. dixit, Ecclesiam in neminem exercere Jurisdictionem, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus.

Ex quo sequitur, si Catechumenus à Fide, quam animo recepit, recedat, & aliquem ejus articulum, sibi sufficienter propositum, pertinaciter neget, vel de illo dubitet, eum quidem Hæreticum fore coram DEO, ab Ecclesia tamen ex defectu Jurisdictionis, cui per actualem primùm Baptismi susceptionem subijcitur, puniri non posse. Ita l. cit. Azor q. 3. Suar. sect. 5. num. 6. § 8. Sanch. n. 34. Farin. n. 135. §. sublimita. Palao v. at licet cit. Laym. l. 2. tr. 1. c. 13. n. 1. Plura vide Tit. præc. à n. 36.

Quæritur 4. utrum Hæreticus censendus sit etiam ille, qui errat in Fide per ignorantiam? Certum est, non esse pro Hæretico, nisi præcisè materiali, reputandum illum, qui errat in Fide per ignorantiam invincibilem; quia tali casu abest voluntarietas, quæ sicut ad omne peccatum, ita vel maxime ad Hæresin est requisita.

Dubium procedit de eo, qui laborat ignorantia vincibili, & crassa: in quo nonnulli cum Sot. in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. post concl. 5. cas. 1. Lopez p. 2. Instruç. c. 20. tit. de Excomm. reserv. in Bull. Can. cas. 1. Lorca 2. 2. q. 11. D. 41. num. 15, contendunt, talem esse Hæreticis annumerandum. 1. Quia ignorantia vincibilis, & crassa non excusat in furto, homicidio, & alijs delictis, ergo neque in Hæresi. 2. Qui vincibiliter ignorat, peccat contra Fidem, ergo vel Paganismo, vel Judaismo, vel Hæresi; quia non sunt aliæ Infidelitatis species. 3. Peccatum ex ignorantia est ejusdem speciei cum peccato ex malitia; quia species peccati ex objecto desumitur, non verò ex modo, sed error contra fidem ex malitia est Hæresis, ergo etiam error ex ignorantia.

Sed dicendum, Baptizatum, qui errat in Fide per ignorantiam etiam vincibilem, & crassam, per hoc non effici Hæreticum. Ita Azor p. 1. l. 2. c. 8. q. 4. § c. 9. q. 8. Conink D. 18. dub. 7. concl. 4. § 5. Sanch. l. 2. mor. c. 7. n. 20. Suar. D. 19. sect. 3. à n. 9. & præcipuè 18. Farin. prax. crim. q. 179. n. 29. Laym. l. 2. tr. 1. c. 13. n. 2. Palao tr. 4. D. 3. p. 2. n. 3. Emm. Correa ideæ Confil. D. 6. n. 1310. Vinc. Petra tom. 3. comment. fol. 4. n. 2. Engl. hic n. 1. §. dico 2. Pirhing n. 2. v. ex quo infertur, Schambog. n. 3. König n. 11. Wiestner n. 5. Reiffensuel n. 9. Ratio est, quia ad incurrendam Hæresim, ut n. 3. dictum est, requiritur pertinacia can. dixit 29. junct.

Gloss. *V. pertinaci, can. qui in Ecclesia 31. q. cit. c. damnatus 2. v. in nullo junct.* Gloss. *Clem. 2. §. porro de Summ. Trinit. ibi, Qui asserere, defendere seu tenere pertinaciter presumpserit &c.* conf. ut Hæreticus quis censetur, debet universalis Ecclesie aliquid docentis, ac definitis authoritati voluntariè, h. e. sciens, ac prudens contradicere, suumque iudicium istius iudicio præferre, atqui non ita contradicit ille, qui errorem aliquem, iudicio Ecclesie oppositum, tueretur ignorans, etsi vincibiliter, contrarium ab ea definitum esse; fortè enim paratus actu est eum deponere, si sciret sic definitum esse. *Conf.* quia peccatum Hæresis non est peccatum ignorantie, sed infidelitatis positivæ, ad quam requiritur scientia, quòd contrarium teneatur à vera Ecclesia.

Quinimò, etsi quis etiam ex ignorantia affectata, erret contra Fidem, propter tædium inquirendi veritatem, vel ob similem causam, non est propriè Hæreticus. *Sayr. Clav. Reg. l. 2. c. 9. n. 34. Sanch. c. 7. n. 23. Laym. c. 13. n. 2. Palao n. 3. cit. Pirhing n. 2. v. ex quo insertur, Schamb. n. 3. König n. 11. Wiestner n. 5.* Ratio est, quia qui sic ignorat, & errat in rebus Fidei, non credit scienter aliquid contra id, quòd definitum est ab Ecclesia; aliàs plurimi Catholici ob ignorantiam, quamvis culpabilem, & affectatam, definitionis Ecclesie, & traditionum censendi essent Hæretici. *Conf.* qui voluntatem habet mutandi sententiam propriam, quoties istam viderit contradicere definitioni Ecclesie, nullo modo potest dici pertinax in suo errore; quia paratus est corrigi. sed cum ignorantia etiam affectata stare potest talis voluntas; nam affectare quis potest ignorantiam, ne cogatur aliud sentire cum Ecclesia. ergo &c.

15 *Excipi* debet, si quis affectatè ignorare velit articulos Fidei, aut inquirere circa eos intermittat, ob contemptum authoritatis Ecclesie, & parvam ejus estimationem; quia talis non est paratus iudicium suum subijcere Ecclesie, etiam errore cognito: adeoque pertinaciter errat in Fide. *Sanch. n. 23. cit. Laym. n. 2. Palao n. 4. Engl. hic n. 1. fin. Pirhing n. 2. v. excipi debet, Schambog. n. 3. König n. 11.* Hinc, quòd suprà dictum est de ignorantia, intelligendum est tantum de ijs, qui alioquin præter unum, vel alterum articulum credunt Fidem Catholicam, atque Romanam Ecclesie esse veram fidem, eamque profitentur; nam illi, qui alienam ab Ecclesia Catholica fidem tenent, v. g. Lutherani, Calvinistæ, & ex crassa, vel affectata ignorantia infallibilem Ecclesie auctoritatem non agnoscunt, aliisque Dogmata Catholica non credunt, pro Hæreticis reputari, & propterea Ecclesiasticis Censuris subiecti esse censi debent, ut *l. cit.* advertunt *Laym. Pirhing &c.* Ratio est, quia, qui veram Christi Ecclesiam, in cuius fide baptizatus fuit,

oppugnat, ejusque auctoritatem culpabiliter negat, is ipsi inobediens est, & in eam contumax, ac rebellis, adeoque ab illa separatus: & sic meritò inter Hæreticos computatur.

Neque obstant Argumenta in contrarium *n. 12. allata.* *Ad 1.* negatur paritas; nam ignorantia vincibilis in materia Justitiæ, Caritatis, & Honestatis non mutat objectum peccati, sed modum duntaxat operandi magis, vel minus voluntarium: contra in materia Fidei ignorantia etiam mutat objectum; nam objectum Fidei est Divina revelatio ab Ecclesia proposita, & hæc in errore, etiam ex ignorantia affectata commisso, occultatur, igitur mirum non est, quòd ejusmodi ignorantia excuset ab Hæresi, non autem excuset à peccato contra alias virtutes. *Ad 2.* error, commissus ex ignorantia crassa, & affectata, non est peccatum directè contra fidem, sed contra obligationem sciendi res fidei; quia tota ejus malitia consistit non tam in errore positivo, sed in neglectu obligationis prædictæ, ex quo deinde error ejusmodi nascitur. *Ad 3.* peccatum ex ignorantia tum solum ejusdem speciei est cum peccato per malitiam, quando ignorantia mutat solummodo modum; secus, quando etiam mutat objectum, sicut mutat in materia Fidei.

Quæritur **5.** an Hæreticus sit, qui discredat alicui revelationi sibi privatim factæ, & sufficienter ad credendum propositæ? Negat cum quibusdam *Lorca 2. 2. q. 11. D. 39. n. 2. §. 4. & ratio dubitandi est;* quia talis non habet iudicium aliquid contrarium Fidei Ecclesie universalis. Verùm hæc ratio non subsistit, cum certum sit Ecclesiam in genere proponere omnibus, quòd credendum sit summæ, primæque Veritati quomocunque aliquid revelanti: cui veritati cum jam contradicat is, qui discredat revelationi sibi privatim factæ, ideo dicendum, hunc coram DEO esse Hæreticum, Ita *Azor p. 1. l. 8. c. 9. q. 4. Sanch. l. 2. mor. c. 7. n. 32. Suar. D. 19. de Fid. sect. 5. n. 11. Conink D. 12. dub. 7. n. 118. Palao tr. 4. D. 3. p. 2. n. 14. Wiestner hic n. 7.*

An verò hujusmodi revelationem privatam negans incidat in Excommunicationem, & alias Hæreticorum pœnas, controversa est inter DD. *Saach. n. 32. & Conink n. 120.* putant incidere, si in actum externum prodeat. Sed hoc verum est, si negans revelationem privatam simul etiam verbis, aut factò dicat, non esse credendum primæ Veritati per privatam revelationem manifestatæ; quia tunc negat propositionem à tota Ecclesia receptam. Si tamen sistatur intra solum diffensum specialis revelationis, multo probabilius est, hanc negantem pœnas Hæreticorum non incurere. *Cordub. l. 1. q. 17. §. 1. dub. 2. v. respondet. Azor q. 4. cit. Suar. n. 12. Palao n. 15. Wiestner n. 7.* Ratio est, quia cum supponamus, revelationem illam esse privatam, neque alteri cognitam præ-

præter illum, qui eam habet, non apparet, quomodo constare alijs possit de vero dissensu revelationis reipsa propositæ, cum de hoc dissensu constare nequeat, nisi simul etiam constet, quod ita neganti facta sit revelatio privata.

¹⁹ Quæritur 6, an Hæreticus sit, qui negat Propositionem Theologicam, deductam ex una Propositione naturaliter evidenti, & altera à DEO revelata, v. g. quòd Christus sit risibilis? Affirmant Canus *l. 12, de Locis c. 9, col. 15, §. enim verò*, Valent. 2, 2, D. 1, q. 11, p. 1, *diffic. 3*. Bonacin. *de Censur. D. 2, q. 5, n. 5*, quia talis negatio saltem mediata Divinæ revelationi opponitur. Sed melius negatur talem Hæreticum fieri. Arragon. 2, 2, q. 11, *art. 2, §. bis tamen*, Sanch. *c. 7, n. 33*, Suar. *sect. ult. n. 3*. *§ segg.* Laym. *c. 13, n. 7*. Palao *p. 2, n. 19*. Wiestner *n. 8*. Ratio est, quia optimè stare potest, ut quis credat quiddam à DEO revelatum est, cum negatione alicujus propositionis Theologicæ, quia vel negat duntaxat universalitatem principij, quòd omnis homo sit risibilis, vel ob mentis hebetudinem non agnoscit evidentiam illustrationis, quorum neutrum est objectum à DEO revelatum.

²⁰ Addunt tamen DD. *citt.* talem in foro externo præsumi Hæreticum, quòd iudicetur non errare in principio naturaliter evidenti, aut non apprehendere evidentiam illustrationis: hinc nihil superest, quàm ut præsumatur negare principium supernaturale fidei, quòd scilicet Christus sit homo. Et in hoc sensu vera est sententia opposita, & procedit Argumentum in probationem ejus allatum.

²¹ Dubitari potest, in qua peccati specie ponatur talis negatio? Respondet Palao *n. 19, cit.* probabilius per se, & formaliter pertinere ad peccatum curiositatis studiositati oppositum in materia omnium gravissima; quia temere, & imprudenter conatur scire contra id, quod ab omnibus receptum est: per accidens tamen ad Hæresin pertinet; quia talem propositionem negans ponitur in proximo periculo labendi contra Fidem.

²² Quæritur 7, quænam causæ excusent à peccato Hæresis? *xy. i.* Ignorantia ex parte intellectus, prout dictum est à *n. 12*.
2. Indeliberatio Voluntatis; nam qui voluntariè, & indeliberatè errat circa res Fidei, non est Hæreticus: & multo minus, qui invitatus patitur tentationes repugnantes articulis Fidei; quia sicut actus Fidei oritur ex

pio voluntatis affectu, ita etiam Hæresis est assensus procedens ex libera voluntatis electione. Sanch. *l. 2, mor. c. 7, n. 13*. Laym. *l. 2, tr. 1, c. 13, n. 5, §. id obiter*, Correa *Idea consil. D. 6, n. 1310*. Pirhing *hic n. 1*. Schambog. *ibid. n. 2*.

3. Defectus veri dissensus ad objectum Fidei; quia Hæresis est peccatum Fidei oppositum. Fides autem consistit in voluntario intellectus assensu circa objectum revelationis, ergo Hæresis necessariò debet consistere in voluntario dissensu circa tale objectum. Et hinc qui Fidem duntaxat negat verbis, aut factis externis, animo autem retinet, etsi in foro externo ob præsumptionem consensu interni pro Hæretico habeatur, & puniatur, revera tamen non est Hæreticus, neque poenas Hæreticorum in conscientia foro incurrit; quia revera non habet voluntarium dissensum, & iudicium contrarium sensui Ecclesiæ, & revelationi Divinæ per hanc propositæ. Navar. *Man. c. 17, n. 56*. Azor *p. 1, l. 8, c. 9, q. 9*, Sanch. *l. 2, mor. c. 7, n. 8*. Suar. *D. 14, de Fid. sect. ult. n. 5*. Palao *tr. 4, D. 3, p. 2, n. 16*. Zœf. *hic n. 1, fin.* Wagner-*eck ibid. not. 2*. Pirhing *n. 7*. Schambog. *n. 8*. König *n. 10*. Wiestner *n. 6*. Reiffenstuel *n. 6*.

4. Defectus pertinaciæ: & hinc Hæreticus non est, qui tenet aliqua, quæ sunt contra Fidem, dummodo paratus sit corrigi; quia secundum dicta *n. 3*, Hæresis est error cum pertinacia junctus, is autem, qui paratus est corrigi, non potest censi pertinax. Pirhing *hic n. 2*. Reiffenstuel *ibid. n. 7*. Non autem sufficit quæcunque pertinacia; sed insuper requiritur, ut existimet se contravenire doctrinæ Ecclesiæ: & propterea pro Hæretico haberi non potest, qui ab Inquisitore Fidei, vel à suo Episcopo, vel à viro Theologo, per Inquisitores, vel Episcopum ad docendum destinato, instructus de re Fidei, illis non credit asserens contrarium, modò existimet se non contravenire doctrinæ Ecclesiæ, vel definitioni Pontificis, ut contra Bartol. Rebuff. Hugolin. & alios docent Canus *l. 12, de Locis c. 9, col. 7, §. ad quid pertinacia*, Valent. 2, 2, D. 1, q. 11, p. 1, *diffic. 4*. Vasq. 1, 2, q. 76, *art. 3, D. 226, c. 3, n. 7*. Sayr. *Tbesaur. Cas. tom. 1, l. 3, c. 4, n. 17*. Sanch. *l. 2, mor. c. 7, n. 25*. Ratio est, quia solius Ecclesiæ, ac Pontificis est, res fide tenendas definire; cæteri autem & fallere, & falli possunt.

De quibusdam Cautelis adversus Hæreticos.

S U M M A R I U M.

25. 26. Quinam obligentur ad faciendam Professionem Fidei?
27. &c. An, & sub qua pena prohibita sit Lectio Librorum Hæreticorum?
32. &c. Quinam incurrant Excommunicationem latam occasione istorum Librorum?
36. &c. Quæ conditiones requirantur, ut incurratur hæc Excommunicatio?
44. &c. An eam incurrat, qui ejusmodi Libros legit animo errores in eo contentos refutandi?
47. Quomodo oporteat legere talem Librum, ut propterea incurratur Excommunicatio Bullæ Cœne?
48. &c. An incurrat illam, qui auscultat legenti?
51. &c. Vel qui legit Librum Hæretici, in quo dogma Hæreticum incidenter solum refertur?
53. &c. An eam incurrat etiam, qui legit, vel penes se retinet Epistolam, Concionem, vel aliud scriptum, quod Hæresin continet?
56. &c. Quinam Libri prohibeantur in Indice Librorum prohibitorum?
59. &c. An prohibitio hæc in Germania secundum rigorem suum recepta sit?
61. Quid agendum cum Libris Hæreticis, aut suspectis de Hæresi?
62. Ad arcendum periculum Hæresis prohibentur occulta conventicula.
63. Et Laicis prædicatio Verbi Divini.
64. Ipsdem prohibetur etiam disputatio de Mysterijs Fidei.
65. 66. Non tamen Clericis.
67. Episcopis injungitur Visitatio annua.
68. &c. An Hæretici ab Ecclesia cogi possint ad abjuratorem erroneorum dogmatum.
71. &c. An ad Hæresin deferendam armis compelli possint?
74. Institutio S. Officij Inquisitionis.
75. &c. Inquisitionum Fidei Jurisdictio probabilis est delegata.
79. &c. Qualis esse debeat, cui committitur Inquisitionis Officium?
82. &c. Quomodo inquisitores debeant procedere?
6. n. 2. Plura videantur Libr. 1. Tit. 1. à n. 7.
- Quæritur 2, quæ Cautela contra Hæreses per Canonicas Sanctiones introductæ sint circa Libros Hæreticos, & horum Lectionem? R. quia frequentissime per Libros Hæreticorum venenum Hæresis ab his insillatum incautis est, idcirco cum ipsis Hæresum Authoribus, ac propagatoribus etiam Libri illorum, & scripturæ condemnantur c. fraternitatis 4. b. tit. Sed hinc Dubium oritur 1. an ergo Lectio Librorum, ab his editorum, prohibita sit? Ratio dubitandi est 1. quia illicita non est Lectio Librorum Gentilium, & Judæorum, qui Hæreticis non sunt meliores. 2. Scripta Origenis, & Tertulliani sine scrupulo leguntur, atqui constat eos in Hæresin prolapsos esse. 3. In his Libris multa continentur bona, & utilia, quæ propter mala, & inutilia non debent rejici juxta Reg. utilia 37. in 6.
- Verum his non obstantibus dicendum, ejusmodi Librorum lectionem ab Ecclesia graviter esse prohibitam, ut constat tum ex c. fraternitatis cit. tum ex Decretis Concilij Constantiensis sess. 8. Lateran. sub Leon. X. sess. 10. & Trid. sess. 4. quod confirmantur Constitutionibus suis Summi Pont. Gelasius, & Leo I. Gregorius IX. Innocentius, & Alexander IV. Paulus, & Julius III. Paulus, & Pius IV. Pius, & Sixtus V. aliique sparsim, injunctâ etiam penâ Excommunicationis Pontifici reservatæ, incurrenda ab ijs, qui sine licentia Sedis Apostolicæ, vel alterius ha-

25. Quæritur 1. quænam Cautela per SS. Canones inductæ sint, ne Hæresis spargatur per personas de hac suspectas? R. in hunc finem inducta est à Trid. Professio Fidei Catholicæ, quam facere cum Juramento sub peccato mortali obligantur.

1. Provisi de quocunque Beneficio, curam animarum habente: qui eam facere tenentur, intra duos menses à die adeptæ possessionis, coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, aut Officiali. sess. 24. c. 12. §. Provisi etiam de reform.

2. Provisi de Canonicatu, vel Dignitate in Ecclesia Cathedrali tam Sæculari, quam Regulari: quod præstandum est coram Capitulo intra duos menses à die suæ receptionis, vel participationis massæ Capitularis, sub pena non faciendi fructus suos c. 12. cit. §. Provisi autem.

3. Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi: qui hanc facere tenentur in prima Synodo Provinciali, cui intererunt sess. 25. c. 2. de reform.

4. Prælati quicunque Monasteriorum, & Religionum, etiam Militarum, vi Bullæ Pij IV. incipit Injunctum editæ Idib. Nov. 1564.

5. Omnes promovendi in Doctores, item Magistri, Regentes, & alij cujuscunque artis, ac disciplinæ Professores, vi Constit. S. Pij V. incipit In Sacrosancta: cujus dispositio in nostra Universitate accuratè observatur, etiam si eam non ubique usu receptam videri notet Suar. D. 14. de Fid. sect.

habentis potestatem hoc concedendi, Libros Hæreticorum, de Religione ex instituto tractantes, scienter legunt, retinent, imprimunt, defendunt &c.

Concordat *Jus Civile*, in quo non solum hujusmodi Librorum lectio prohibetur, sed ne perversionis Hæreticæ ulla vestigia existerent, ipsi libri perfectissimo interitui mancipari, & concremari jubentur *l. decere §. 5. sancimus 1. C. de Summ. Trinit. l. quicumque §. 5. fin. l. ex Manicheo 16. §. fin. C. de Hæret. & l. Eunomianæ 34. fin. Cod. Theodos. eod.* Ratio est, tum quia in contemptum Ecclesiæ; & veræ Fidei scripti sunt; tum verè maximè, quia periculum perversionis incautus præbent, dum falsa dogmata veris miscent, sicque venenum propagant.

Estque perinde, siue impressi illi sint, siue manuscripti, ut ex communi sententia advertunt *Sanch. l. 2. mor. c. 10. n. 28. Suar. D. 20. sect. 2. n. 10. Farin. prax. crim. q. 180. n. 30. Laym. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 1. Palao tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 3. Barbof. in c. 4. b. tit. n. 3. Pirhing bic n. 20.* & veluti certum refert *Neuffer D. 74. q. 5.* quidquid aliter sentire visus sit *Thom. Tambur.* quia adest eadem ratio, & manuscripta, saltem si longiora sint, verè Libri sunt, & dicuntur, prout dicebantur ante Typum inventum,

Neque contrarium probant Argumenta n. 27. allata. *Ad 1.* in Libris Ethnicorum, quatenus de Idolis, & ritibus suis agunt, non est periculum perversionis: conf. non urget ratio, ob quam prohibiti sunt Libri Hæreticorum. *Ad 2.* Errores Origenis, & Tertulliani extincti jam sunt: conf. ex his periculum perversionis legentibus nullum imminet. *Ad 3.* utilia, siquæ Hæreticorum Libris inserta sunt, æquè faciliè, & sine periculo haberi in Libris Catholicorum possunt. Accedit, quia sicut non omnium, sed Medici duntaxat est, explorare, quinam morbi contagiosi sint, ita examinare, qui Libri periculosi sint, eosque rejicere, vel approbare non ad quemcumque, sed ad eos duntaxat pertinet, qui rerum Divinarum veram Scientiam habent.

Dub. 2. quinam Excommunicationem n. 28. relata, & per *Bullam Censæ cas. 1.* Summo Pontifici reservatam incurrant? *1.* incurrunt illam, qui legunt hujusmodi Librum conscriptum ab Hæretico, vel publicè pro tali habito: estque perinde, siue editus sit ab Authore suo, antequam is de Hæresi damnaretur, siue post illius damnationem: neque refert, an iste sit ex Hæreticis RR, an ex VV. nam etiam horum Libri prohibentur, nisi, ut Origenis, & Tertulliani Opera, expressè permittantur. *Gloss in c. fraternitatis 4. V. Celestinus. b. tit. Barbof. ibid. à n. 2. Pirhing bic n. 20. Wiestner n. 15. Reiffenstuel n. 39.* Excipitur, si parum admodum sit, quod ex tali Libro lectum est; quia parvitas materiæ in lectione hujusmodi

excusat ab Excommunicatione Bullæ Censæ, prout dicitur *infra n. 40.*

2. Qui tales Libros retinent: neque ³³ refert, an illos retineant in domo propria, an in aliena, suo, an alieno nomine, an causâ addiscendâ, & propagandâ Hæresis, vel curiositatis, venditionis, compactionis, vel alia simili causâ. *Sanch. l. 2. mor. c. 10. n. 52. Suar. D. 20. sect. 2. n. 21. Laym. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 7. Palao tr. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 7. Barbof. in c. 4. b. tit. n. 6. Wiest. bic n. 16. Reiffenstuel n. 71. §. 72.* adeoque Excommunicationem istam incurrunt etiam Bibliopola, qui hujusmodi Libros vendunt, Bibliopegi, qui compingunt &c. Et sufficit quoque ad Censuram hanc incurrendam, si quis partem solummodo talis Libri retineat. *Sanch. n. 54. Reiffenstuel n. 73.* quia verè dicitur retinere Librum, sicut dicitur legere Librum, qui partem illius legit. Hinc idem *Sanch. n. 53.* excommunicatos censet Aromaticos, Mercatores, & quosvis alios, qui hujusmodi Libros, aut partem eorum retinent ad involvendam mercem, aut similia. Evitat tamen Excommunicationem istam, qui unum duntaxat, duo, aut tria folia de tali libro retinet, vel integrum Librum, aut partem notabilem, sed per unum duntaxat, vel alterum diem, aut per longius etiam tempus, sed ideo, quia non habet tempus, & occasionem opportunam tradendi eum Inquisitoribus, vel habenti licentiam illos legendi, & retinendi. *Laym. n. 7. Palao n. 11. Reiffenstuel n. 75.*

3. Qui talem Librum imprimunt, aut ³⁴ propriè cooperantur ad illius impressionem: quales sunt 1. qui pro impressione componunt litteras, præparant papyrum, & aramentum, premunt torcular &c. 2. Patronus officinæ, etiamsi proprijs manibus non labore; quia verè imprimere dicitur, & impressor nominatur. 3. Author Libri, seu is, in cujus nomine liber imprimitur; quia in communi modo loquendi hic est, qui imprimit. 4. Corrector Typi; nam quatenus hic juvat ad librum emendatè imprimendum, etiam ipse cooperari ad impressionem dicitur: & esto, non comprehenderetur ut cooperans, comprehenderetur tamen ut legens Librum Hæreticum. 5. Qui expensas pro impressione facit: sed hic, nisi simul hujusmodi Librum imprimendum tradat, videtur Excommunicatione ista non comprehendi; quia valde remotè ad impressionem concurrat; & idem judicium est de eo, qui litteras æneas, aramentum, papyrum, & reliqua ad impressionem necessaria donat, vel vendit; sunt enim hæ actiones nimis remotæ. *Ugolin. de Censur. Pap. reserv. p. 2. c. 1. V. imprimentes, Sanch. l. 2. mor. c. 10. n. 58. Suar. D. 20. sect. 2. n. 24. Laym. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 7. V. quod attinet, Palao §. 2. cit. n. 13. Wiestner n. 16. Reiffenstuel n. 71. §. 77.* Addit tamen *P. Jao R l. cit.*

R

l. cit.

l. cit. eos, qui remotè ad impressionem concurrunt, posse fautores Hæreticorum esse, si eas actiones præstent, ut Hæresi faveant.

35 4. Qui hujusmodi Libros verbo, vel scripto tuetur, aut commendat, vel eisdem, ne ad Inquisitorum manus perveniant, occultat, aut postquam in Ministrorum Inquisitionis manus venere, ex istis eripit, ab incendio, aliòve interitu vindicat. Sanch. *n. 58.* Laym. *n. 7.* Palao *n. 14.* Wiestner *n. 16.* Reiffenstuel *n. 71.* § 78. Meritò tamen *l. cit.* Sanchez, & Palao observant, Excommunicationi huic non subjacere eum, qui Librum aliquem defendit, verè demonstrando, illum prohibitum non esse, vel approbando, quod in eo Catholicum est, aut præcisè laudando ingenium authoris, vel Stylum Libri, idque non in ordine ad tuendum, ne comburatur, aut Inquisitoribus tradatur; quia hoc non est defendere Librum Hæreticum, quàm Hæreticum.

5 Dub. 3. quæ conditiones requirantur, ut ob Lectionem, retentionem &c. Libri Hæretici incurrat Excommunicatio in Bulla Cænæ *cas. 1. cit.* lata? *n. 1.* requiritur, ut liber sit alicujus Hæretici; nam qui legit librum alicujus Pagani, Excommunicationem istam non incurrit, ut notat Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 22.* Suar. *D. 20. sect. 2. n. 11. fin.* Farin. *prax. q. 180. n. 10. §. quid autem,* Palao *tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 1.* quia Infideles non sunt Hæretici. Idem dicendum de eo, qui legit librum alicujus Catholici, etsi iste aliquos errores contra Fidem per ignorantiam Authoris, vel per malitiam alicujus Hæretici insertos habeat. Sanch. *n. 25.* Suar. *n. 13.* § 14. Palao *n. 2.* & consentiunt Navar. *Man. c. 27. n. 56.* Azor *p. 1. l. 8. c. 16. q. 2.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 2.* Wex *Ariadu. p. 4. append. 1. ad cas. 10. Decad. 1. n. 2.* Schambog. *hic n. 15.* Wiestner *ibid. n. 17.* Excipiunt Suar. *l. cit.* & Coninck *D. 18. de Fid. n. 177.* nisi Scholia, & errores tali libro inserti ita creverint, ut ex illis major pars Libri consistere videatur; quia tunc Liber à parte præcipua denominandus est: etsi contrarium sentiat Sanch. *l. cit.* cum Bonacin. *D. 2. de Censur. q. 5. p. 4. n. 6.*

37 2. Ut liber ille tractet Hæresin, vel de Religione, aut si de alia tractat, Hæresin contineat. Et hinc ab Excommunicatione hac liber est, 1. qui legit Libros, quibus continentur Ritus Græcorum, Ruthenorum, Armenorum; quia isti ab Ecclesia pro Hæreticis non habentur. Azor *q. 8.* Sanch. *n. 27.* Farin. *n. 10. §. quid autem,* Wiestner *n. 12.* Si tamen Authores talium Librorum sint verè Hæretici, sicut communiter esse solent, etiam isti Libri sub prohibitione Bullæ Cænæ comprehenduntur; quia sunt Libri Hæreticorum de Religione tractantes. Suar. *n. 12.* Pal. *n. 1.* 2. Eandem Excommunicationem etiam non incurrit, qui legit, imprimit, retinet, &c. Libros Magicos, conscriptos à

Catholico, vel etiam Infideli; quia Magia non est Hæresis. Navar. *n. 55.* Sanch. *n. 32.* Wiest. *l. cit.* 3. Ab eadem Excommunicatione immunis est, qui legit, retinet &c. Libros Hæreticorum Juridicos, Medicos, Philosophicos, Mathematicos, Politicos &c. saltem si Hæresin nullam contineant. Suar. *de Censur. D. 21. sect. 2. n. 10.* Sanch. *n. 33.* Laym. *n. 3.* Pirh. *n. 20.* Wex *n. 6.* Wiestner *l. cit.*

3. Ut prohibitus Hæretici Liber legatur &c. scienter; nam qui legit, retinet &c. hujusmodi Librum ignorans, quòd sit Liber Hæretici, vel quòd Hæresin contineat, Excommunicatione ista non afficitur; estque hoc verum, etsi ea ignorantia sit crassa, & affectata; licet enim ista non excuset à delicto *c. fin. de Const. in 6.* excusat tamen à pena, quòd ad eam contrahendam desideretur scientia, prout desideratur in Bulla Cænæ in casu præsentis. Sanch. *n. 38.* Laym. *n. 4.* Pirh. *n. 20.* Schambog. *n. 16.* Wiestner *n. 21.* Reiffenstuel *n. 55.* Excipitur, quando ignorantia est adeo crassa, ut temeritas censeri possit; nam cum tali ignorantia Librum Hæreticum legens Excommunicationi huic obnoxius foret. Sanch. *l. cit.*

4. Ut talis Liber legatur, retineatur &c. sine legitima facultate; nam si quis ad hoc legitima facultate instructus sit, licet illos legit, modò absit periculum perversionis; nam cum hoc vitare Juris sit naturalis, & Divini, idcirco lectio Libri Hæretici cum tali periculo nulla dispensatione fieri licita potest. Schambogen *n. 16.* Wex *n. 11.* Potest autem hanc facultatem dare solus Pontifex, & ij, quibus Pontifex specialiter concessit, ut etiam alijs dare possent potestatem legendi Libros Hæreticos. Pirh. *l. cit.* Et talem facultatem à Summo Pont. concessam ordinariè habent Episcopi Germaniæ. Reiffenstuel *n. 56.* Sed hi, quia juxta formulam consuetam concessionis hæc facultas ipsis tantum datur ad quadriennium, vel quinquennium, non possunt dare alijs facultatem legendi hujusmodi Libros in perpetuum, ne dent, quod ipsimet non habent, Ad quantum autem tempus dare facultatem hanc possint, controversia est: in qua satis certum est, si initio statim quadriennij, vel quinquennij sibi concessi concedant hanc facultatem, eam ab ipsis extendi posse ad quadriennium, vel quinquennium: si verò post tres, vel quatuor annos elapsos, plerique putant, facultatem ab ipsis concessam non posse ultra tempus de quadriennio, vel quinquennio residuum porrigi. Verùm, ut bene advertit Reiffenstuel *n. 63.* melius in hac re expectatur decisio ex Oraculo S. congreg.

5. Ut id, quod legitur ex libro Hæretico, sit materia notabilis, & sufficiens ad peccatum mortale; nam parvitas materiae, quæ legitur ex tali Libro, sicut excusat à peccato mortali, ita etiam excusat ab Excommu-

municatione Bullæ Cænæ. Azor p. 1. l. 3. c. 16. q. 3. Sanch. l. 2. mor. c. 10. n. 31. Suar. D. 20. sect. 2. n. 20. Coninck D. 18. dub. 11. n. 179. fin. Bonacin. D. 2. de Censur. q. 5. p. 4. n. 13. Laym. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 5. Palao tr. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 6. Engl. b. n. 11. Reiffenstuel n. 67. cum communi aliorum contra Ugolin. de Censur. p. 2. Gloss. ac eorundem libros n. 1. §. 8. Tolet. l. 1. Instruct. Sacerd. c. 19. n. 9. & paucos alios, volentes, Excommunicat o-nem incurere etiam illum, qui modicissimam partem v. g. unam, vel alteram lineam legit, præsertim si intentionem habeat plura legendi.

⁴¹ Ratio responsionis est, quia cum universaliter loquendo in alijs Legibus Ecclesiasticis, præsertim gravissimam Excommunicationis Censuram infligentibus, excuset parvitas materiæ juxta unanimum DD. non apparet, quare non etiam excuset in hac lege. Porro hanc parvitatē materiæ Sanch. n. 31. cit. cum *Vivald. Sà*, & alijs extendit usque ad unam integram paginam Libri etiam in folio impressi, eò, quòd regulariter loquendo non videatur subesse aliquod perverſionis periculum in lectioe unius paginæ. Sed *Suar. Bonac. Palao* putant, hanc extensionem esse nimiam, & meritò; quia cum versemur in materia periculosa, in hac non sunt laxandæ habentæ, & in pagina magni Libri in folio impressi Hæresis insperata facile ita deduci, & propugnari potest, ut periculum perverſionis subit; conf. ratio Legis, indeque obligatio adfit. Accedit, quia, ut fatetur *Sanchez* cum alijs, Excommunicationem incurrit, qui legit tantum Epistolam Dedicatorem, vel Præfationem, ergo multo magis eam incurret, qui legit ipsam substantiam Libri in quantitate, quæ Præfationi æqualis sit. Hinc alij communiter dicunt, ad incurrendam hanc Excommunicationem sufficere minorem aliquam materiam; quàm unius folij. Quanta autem repleta sufficiat, non conveniunt: conveniunt autem in eo omnes, quòd is, qui plus, quàm ejusmodi paginam legit, Excommunicationem certò incurrat.

⁴¹ Neque excusatur, si in illis paginis, quas legit, de Religione nullatenus tractetur, nec Hæresis contineatur, ut cum communi bene advertunt *Sanch. n. 35. Suar. D. 21. Censur. sect. 2. n. 10. Laym. n. 5. Reiffenstuel n. 70.* Ratio est, quia Bulla Cænæ, quæ omnem aditum legendi Libros Hæreticos præcludere intendit, ad incurrendam dictam Censuram non requirit, ut quis legat ipsam Hæresin, vel materiam de Religione tractantem, sed tantum, ut legat Librum, in quo Hæresis continetur, vel de Religione tractatur. Hinc juxta DD. *citt.* ad incurrendam Excommunicationem Bullæ Cænæ, ut *n. præc.* insinuavi, sufficit, si quis legat Proce-
mum, Epistolam Dedicatorem, Præfationem ad Lectorem, vel Indicem duntaxat talis Libri.

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. I.

Quod hætenus dictum est de Lectio-⁴³ ne, procedit etiam de retentione Libri Hæretici; nam & hæc parvitatē materiæ admittit, ita, ut excusetur à peccato mortali, qui vel ad breve solum tempus v. g. per unum, vel alterum diem, vel partem tantum exiguum Libri Hæretici apud se sine legitima concessione retinet: & quamvis, ut *n. 41.* dixi, unum, duo, vel tria folia respectu Lectioe sint materia gravis, respectu retentionis tamen videntur esse parva, cum minus delictum sit retinere, quàm legere. *Sanch. n. 54. Palao n. 11.*

Dub. 4. an Excommunicationem istam⁴⁴ incurrat etiam ille, qui Hæreticos Libros absque legitima facultate legit animo errores in ijs contentos refutandi? Negativam tuentur *Felin. in c. si quis Episcopus in fin. v. pro quo infertur b. tit. Decian. tr. crim. l. 5. c. 46. num. 26. §. 27. Mascard. de probat. concl. 362. n. 14. Caramuel Theol. fund. 17. q. 2. n. 434.* ex ratione, quòd cum talis Lectio, vel retentio Hæreseos odio fiat, vacet culpâ; ac proinde pœnæ non sit obnoxia.

Sed dicendum, quocumque sine quis⁴⁵ librum Hæretici retineat, vel legat, absque licentia illius, qui illum dare potest, incurere Excommunicationem Bullæ. Ita *Azor p. 1. l. 8. c. 16. q. 6. Tolet. l. 1. Summ. c. 19. n. 9. Sanch. l. 2. mor. c. 10. n. 53. Suar. D. 20. sect. 2. n. 21. Farin. prax. q. 180. n. 39. Palao tr. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 9. Tambur. Decal. tom. 1. l. 2. c. 1. §. 7. n. 46. Dian. p. 6. tr. 6. ref. 49. Wex Ariad. p. 4. Append. 1. ad Decad. 1. cas. 10. n. 25. Vincent. Petr. tom. 1. comment. fol. 136. n. 15. Wiestner hic n. 23.* & clarè patet ex Bulla Cænæ, ubi sub Excommunicatione prohibetur lectio, & retentio hujusmodi Librorum *ex quavis causa, & quovis ingenio, vel colore*: adeoque Bulla non curat, qua intentione fiat Lectio, vel retentio.

Ratio est, quia in ea Bulla lectio, &⁴⁶ retentio istorum Librorum prohibita est sub pœna Excommunicationis ob periculum generale perverſionis multorum: quod periculum cum non cesset, etiam si particulari alicui personæ nihil sit inde timendum, idcirco etiam iste prohibitionē illa, & pœnâ tenebitur, qui bono licet sine, sine licentia Sedis Apostolicæ, vel alterius, qui dare eam potest, illos legit, vel retinet. Ex quo cadit Argumentum Sententiæ oppositæ.

Dub. 5. quomodo oporteat legere⁴⁷ Librum Hæretici, ut propterea incurrat Excommunicationem Bullæ Cænæ? Satis convenit inter DD. 1. non sufficere Lectioem solum materiale, quæ verba duntaxat profert, sed requiri formalem, quæ sensum verborum intelligit, ut contra *Bonacin. D. 2. de Censur. q. 5. p. 4. n. 14.* notat *Palao tr. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 2.* quia hæc sola est lectio propria. 2. Non esse necessarium, ut verbis proferatur res lecta, sed sufficere, si visu percurratur talis liber, nullum pronuntiando verbum,

bum, attendendo tantum ad verborum sensum, Sanch. l. 2. mor. c. 10. n. 41. Suar. D. 20. sect. 2. n. 18. Bonac. D. 2. de Censur. q. 5. p. 4. n. 12. Palao §. 2. cit. n. 2. Wiest. hic n. 21, ex ratione, quia ad veram lectionem verborum prolatione opus non est arg. l. tabularum 2. §. inspectio 5. ff. testam. quemad. aperiant.

48 *Difficultas* est, an Excommunicatio incuratur etiam ab illo, qui auscultat legenti Librum Hæreticum? Affirmat Suar. D. 20. sect. 2. n. 19. negat Sanch. c. 10. cit. n. 48. Conink D. 18. dub. 11. n. 178. Palao §. 2. cit. n. 4. Melius distinguunt Azor p. 1. l. 3. c. 16. q. 4. Saye thesaur. cas. tom. 1. l. 3. c. 5. n. 14. Graffis p. 1. decis. l. 4. c. 18. n. 45. Laym. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 6. Wiestner hic n. 24. Vel enim iussit eundem sibi prælegi à famulo, aut alio, aut contra solum auscultat ejusdem lectionem, quam alius suâ sponte, aut iussu quidem, vel suasionem, non suâ tamen auscultantis, sed alienâ incepit.

49 *Si primum*, tenetur ea Excommunicatione auscultans; quia ita jubens ita prælegi in moral æstimatione ipse censetur legere, cum ex generali Regula, quod quis facit per alium, perinde sit, ac si faciat per seipsum, quæ est 72. in 6. Accedit, quia alias Censura, per Bullam lata, facile possit eludi, & ita fieri, ut prohibitio careret sine.

50 *Si secundum*, non afficitur Excommunicatione; quia eo casu legere ipse moraliter non censetur. Quod extendit P. Wiestner n. 24. cit. etiam ad eum, qui talem Librum prælegi alijs mandat, vel consulit, sed lectionem ipse non audit; quia cum Libri lecti Hæreses nec visu, nec auditu mediante percipiat, non potest censer legens, qui solus Excommunicatione ista afficitur. Exceptis casum, nisi mandato, vel iussu suo Hæresi favorem præstet.

51 Dub. 6. quid dicendum de eo qui legit Librum Authoris Hæretici, in quo iste de Religione non tractat ex instituto, sed dogma tamen Hæreticum unum, vel alterum incidenter solum, & obiter refert, vel probat? R. spectato tenore Bullæ Cœnæ, & hujus rigore, etiam istum Excommunicationem incurere, ut notant Sanch. l. 2. mor. c. 10. n. 35. Suar. D. 21. de Censur. sect. 2. n. 10. Conink D. 18. de Fid. dub. 11. n. 177. Farin. prax. q. 180. n. 22. fin. Bonacin. D. 2. q. 5. p. 4. n. 19. Palao tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 7. Wiestner hic n. 20. & patet ex Bulla cit. ubi sub Censura illa prohibetur lectio Librorum Hæreticorum, non solum illorum, qui de Religione tractant, sed etiam eorum, qui Hæresin continent. Manetque talis liber prohibitus, etiam si Hæresim, quam continet, ex illo expunxeris; quia particularis expunctio non tollit communem Libri prohibitionem, ut l. cit. monent Sanch. Bonac. Palao.

52 Addidi, *spectato rigore*; nam huic rigori Germania nostræ usu videtur derogatum

in pluribus ejus Provincijs, ubi sine Censuræ metu Viri timorati, & docti legunt, & in Bibliothecis suis retinent Opera Hæreticorum Authorum, profanum argumentum tractantia, licet errores aliquos, ab Ecclesia damnatos, contineant, modò isti frequentes non sint, aut in odium Fidei ab Authoribus conscripti. Laym. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 4. Wex Ariadn. p. 4. Append. 1. ad cas. 10. Decad. 1. n. 8. Pirhing hic n. 20. §. requiritur, Engl. n. 10. Schambog. n. 15. Wiestner n. 20. & teste Reiffenstuel n. 50. plerique post Layman scribentes, qui n. 51. addit, ejusmodi Libros, si obiter solum, & brevissimè, sumulque apertè futiliter defendunt, aut referunt doctrinam Hæreticam, nec eam ex instituto tractant, legi tutò posse etiam extra Germaniam.

Dub. 7. an eidem Censuræ subjaceat etiam ille, qui legit, vel penes se retinet Epistolam, Concionem, vel aliud scriptum, quod Hæresin continet, vel de Religione tractat? Affirmant, ut probabilius, Suar. D. 20. sect. 2. n. 10. Ugolin. de Censur. p. 2. Gloss. ac eorundem n. 2. §. nonò, Farin. prax. q. 180. n. 31. & nonnulli alij, quos sequitur P. Reiffenstuel hic n. 45. Moventur 1. quia hæc prohibitio non est odiosa, sed favorabilis; quia est in favorem Fidei, & defensionem Catholicorum. ergo debet extendi, & non limitari ad Librum. 2. Non est signata magnitudo, quæ ad constituendum Librum requiritur, ergo Concio, Disputatio, annotatio, quæ decem folia continet, jam poterit nuncupari liber. 3. Talis Epistola &c. potest esse pars saltem modica alicujus Libri: atqui partem etiam minimam Libri Hæretici v. g. Proœmium, Epistolam ad Lectorem, Syllabum Capitem, aut Indicem legens Excommunicationem incurrit secundum dicta n. 42. fin. ergo &c. 4. Etiam talis Epistolæ, Concionis &c. lectio periculum perversionis afferre potest, & solet. 5. S. Congregatio, circa Decretum Trid. sess. 4. de Edit. Libror. interrogata, quam ibi comprehendantur nomine Libri, respondit comprehendit sub illo Decreto Conciones, Lectiones, Disputationes, & similia. ergo etiam in casu nostro Bulla Cœnæ prohibendo lectionem Librorum Authoris Hæretici, censenda est quoque prohibere Conciones, & alias hujusmodi scripturas paucorum foliorum.

Verum, etsi Sententia hæc in praxi sua denda, tenendaque sit, probabile tamen admodum est, hujusmodi scripti, quod Tractatus formam non referat, lectione Excommunicationem Bullæ Cœnæ non incurri. Ita Sanch. l. 2. mor. c. 10. n. 29. Bonacin. D. 2. de Censur. q. 5. p. 4. n. 18. Laym. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 3. Palao tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 5. Herinx D. 9. de Fid. q. 8. n. 86. Wiestner hic n. 19. Ratio est, quia dispositio Bullæ cit. pœnalis, conf. odiosa est. igitur eum per eam sub di-

Ha Censura prohibeatur solum lectio, re-
tentio &c. Librorum, ea poena extendi non
debet ad eos, qui legunt, retinent &c. Epi-
stolam, Concionem, vel aliud scriptum pau-
corum foliorum; quia hujusmodi scripta pro-
pria, & secundum communem loquendi
usum non veniunt Libri nomine.

55 Ex quo patet ad 1. *argumentum* ad-
versæ sententiæ. Certe si Constitutio hujus
Bullæ, quatenus Censuram Excommunicati-
onis infligit legentibus Libros Hæreticos,
simpliciter favorabilis esset, quod in favorem
Fidei, & defensionem fidelium ordinata sit,
etiam favorabilis simpliciter foret Lex poena-
lis, quæ homicidæ, & latrones puniuntur,
cum & ipsa ad bonum Reip. & defensionem
innocentium ordinetur. Ad 2. cum à
Jure non sit determinata quantitas requisita
ad constituendum Librum, quantitas ista su-
mi debet à communi loquendi usu, atqui se-
cundum communem loquendi usum scriptura,
quæ folijs decem minor est, Liber dici non
solet, quamvis, ut vulgo Palao l. cit. n. 5. ad
5. talis nuncupari possit decem folia saltem
conticens. Ad 3. etsi talis Scriptura bre-
vior possit esse pars Libri, non tamen est
actu, nec unquam fuit pars Libri; & ideo
nunquam fuit prohibita sub clausula Bullæ
Cœnæ: secus est de Præfatione, Epistola
Dedicatoria &c. quæ defacto Librum prohi-
bitum composuit; quia prohibito Libro,
etiam partes prohibite manent. Ad 4. præ-
terquam quod Constitutiones poenales ne-
que ob paritatem rationis extendi debeant
ad casum non expressum in tali Constitutione,
etiam non est par ratio talis scripti, quæ Li-
bri; quia hi manent diutius, evulgantur la-
tius, & majoris auctoritatis sunt, quam Epi-
stola, & similes scripturæ non redactæ in
Tractatum. Ad 5. quod sub Decreto
Trid. de Edit. Libror. comprehendantur etiam
annotationes, scholia, disputationes, mirum
non est, quia Decretum Concil. Lat. sub Leon.
X. cujus Constitutio cit. Trid. explicatio,
& renovatio est, expressè includit *quacun-
que scripturam*: contra Bulla Cœnæ dunta-
taxat prohibet lectionem, retentionem &c. Li-
bri Hæretici.

56 Dub. 8. quinam Libri prohibeantur in
Indice Librorum prohibitorum, edito au-
thoritate Pij IV. & postea per Sixtum V.
Clementem VIII. & Successores Pont. con-
tinuato, confirmato, & aucto? R. in hoc
Libri prohibiti dividuntur in duas Classes. In
prima Classe continentur Libri, qui propter
iplos Authores, Hæreticos scilicet, damnati,
seu prohibiti sunt. Et tales sunt 1. Libri
Hæresiarcharum, i. e. qui Hæresin invene-
runt, aut suscitârunt, vel Hæreticorum quæ-
taliū Capita, & Duces sunt, vel fuerunt,
ut Lutherus, Calvinus, Zvinglius, quo-
rum Libri omnes, & singuli, etsi de Religio-
ne non tractent, nec Hæresin contineant,
sed de alia quacunque materia tandem agant,

per hunc Indicem prohibiti sunt, ita decer-
nente Ecclesia in odium Authorum; quia
*damnato Authore, damnantur ejus Scriptura, &
Libri, & Opera*, ut habet Summarium c. *fra-
ternitatis* 4. h. tit. 2. Libri aliorum Hæreti-
corum Authorum, vel de Hæresi publicè
susceptorum, continentes Hæresin, vel de
Religione tractantes etiam si Hæresin non con-
tineant.

Ad *Secundam Classem* pertinent Libri, qui 57
prohibentur, aut prohibiti sunt non propter
ipsum Authorem, sed propter doctrinam,
quam continent: quales sunt 1. Libri, qui
continere judicantur doctrinam non sanam,
suspectam, vel moribus fidelium repugnan-
tem, licet eorum AA. Catholici sint. 2.
Libri & scripta tradentes Artem Magicam,
aut res obscenas, vel lascivas, si hoc fa-
ciant ex professo. In novo Indice, edito
auctoritate Alexandri VII. & Successorum
Pont. omnes Libri prohibiti ponuntur ordi-
ne Alphabeticò, & illis, qui primæ Classis
sunt, utpote speciali notâ dignis, additur *Prî-
mæ Classis*, ut videre est in moderno Indice:
adeoque Libri omnes, quibus Characteristica
ista non adjicitur, censentur esse secundæ
Classis.

Jam 1. *Libri primæ Classis* omnes in 58
Indice prohibentur legi sub poena Excom-
municationis reservatâ Papæ. 2. Sub ea-
dem Excommunicatione, non tamen refer-
vata Summo Pontifici, prohibetur Lectio Li-
brorum *secundæ Classis*, qui prohibiti sunt,
quia judicantur continere doctrinam non
sanam, suspectam vel moribus fidelium re-
pugnantem. 3. Lectio Librorum, &
scriptorum tradentium artem Magicam, aut
res obscenas, & lascivas severæ, sed ar-
bitrariæ Episcoporum coercitioni subjecta est
per Constit. Pij IV. incipit *Dominici* 24. Mart.
1564. & Alexandri VII. incipit *Speculatores* 5.
Mart. 1664.

Notat tamen P. Wiestner hic n. 25. 59
ex Laym. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 8. memoratum
Librorum prohibitorum Indicem quoad se-
cundam Classem in Germaniæ nostræ Pro-
vincijs non esse usu receptum. Imò Becan.
tom. 2. tr. 1. de Fid. c. 15. q. 8. n. 5. putat
eundem Indicem, & Bullam Cœnæ in ea-
dem Germania etiam non esse receptam ple-
nè quoad aliquos Libros primæ Classis, sci-
licet Hæreticorum Authorum, saltem qui
non sunt Hæresiarchæ: hinc putat, Catho-
licos in Germania non esse excommunica-
tos, qui legunt Libros Hæreticorum, quam-
vis peccent mortaliter, si eos legant cum
periculo erroris, aut deceptionis, ut fre-
quenter fit. Pirhing hic n. 21. in fin. Con-
trâ non receptionem, & non usum Bul-
læ, aut Indicis nec in Germania prætendi
posse, multis acriter defendit P. Reiffenstuel
hic n. 113. & seqq. Utramque Sententiam
mitigat P. Engl hic n. 9. qui cum prima
asserit receptam non esse prohibitionem
R 3 Bul-

Bullæ, & Indicis in Germania quoad poenam Excommunicationis, urget tamen quoad reatum peccati, quod plerumque ob periculum perversionis, aut malæ delectationis ex lectione talium Librorum committitur.

60 Quidquid fit, certum videtur, etiam in Germania plures Libros, qui inter secundæ Classis prohibitos in Indice recensentur, licet legi non posse, quales sunt, qui à Catholicis Authoribus scripti sunt de rebus obscenis, de fortilegijs, maleficijs, incantationibus practicandis, de Astrologia Judiciaria, & prædicendis futuris contingentibus, quæ dependent à libera voluntate humana &c. Unde doctrina *Laymanni* videtur locum potissimum habere in ijs Libris, qui cæteroquin boni, & optimi sunt, sed ob unam, vel alteram, aut plures doctrinas minus convenientes cum Theologia, SS. Canonibus, & Constitutionibus Pontificijs, vel quia scripserunt de, aut super materia, de qua scribere, aut glossare non licet &c. prohibiti sunt; nam tales Libros in Germania, non obstante Indice expressè illos prohibente, passim teneri, & legi in comperto est, quales v. g. sunt Francisci Pellizarij Manuale Regularium, Augustini Barbofæ Collectanea, Declarationes, & remissiones &c. in qua doctrina consentit ipse *P. Reiffenstuel n. 119.* quamvis addat, securius, & laudabilius esse, etiam in his simpliciter obedire Sedi Apostolicæ.

61 Dub. 9. Quid agendum cum Libris prohibitis Hæreticorum, vel suspectorum de Hæresi? *¶* in locis, ubi viget Officium Inquisitionis contra Hæreticam pravitatem, ut in Italia, Hispania &c. sub Excommunicationis, & alijs poenis contra Hæreticos latis tradi debent Inquisitoribus, nec sufficit eos propria autoritate comburere. *Sanch. l. 2. mor. c. 10. n. 56. Farin. prax. q. 180. n. 40. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 90. n. 50. Palao tr. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 12. Vincent. Petra tom. 2. comment. fol. 191. n. 12. Reiffenstuel hic n. 127.* & ita expressè statuit *Julius III. Const. incipit cum Meditatio.* In alijs locis, ubi Inquisitionis Officium non viget, sufficit, & necesse est, ut vel comburantur, vel tradantur alicui, vel aliquibus, qui specialem facultatem legendi, aut retinendi Libros Hæreticos habent.

62 Queritur 3. quænam aliæ Cautelæ per SS. Canones præscriptæ sint ad arcendum periculum Hæresis disseminandæ, & propagandæ? *¶* 1. prohibentur occulta conventicula, præsertim in locis Hæresi infectis, vel de ea suspectis *c. cum ex injuncto 12. & c. excommunicamus 13. §. adjicimus 7. b. tit.* Concordat Jus Civile *l. denuntiamus 5. C. de his, qui ad Eccl. confug.* adeo, ut ædes, in quibus conventicula hujusmodi celebrantur, si hoc fiat consentiente domino, pub-

licentur, & addicantur fisco *l. conventicula 15. C. de Episc. & Cleric.* Ratio est, quia hujusmodi clanculariæ conitiones periculose sunt admodum, & prout exempla docuerunt, Fidei veræ, quæ lucem amat, inimicæ.

2. Laicis interdicta est omnis prædicatio Verbi Divini *can. mulier 29. dist. 23. c. cum ex injuncto cit. & c. excommunicamus §. quia verò 6. idque ad exemplum Christi, qui manus prædicandi Verbum Divinum, non quibusvis, sed Discipulis tantum, & præcipuè Apostolis commisit. Matih. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. Act. 13. v. 2.* Imò etiam Clerici, qui Prædicationis officium, non accepta ad hoc à Pontifice, vel locorum Ordinarijs autoritate, suscipere in se præsumpserint, excommunicari jubentur *§. quia verò cit. Barbof. ibid. n. 40. Gonzal. in c. 12. cit. à n. 6. Pirhing hic n. 31. Schambog. n. 21. Wiestner n. 27. Reiffenstuel n. 32.*

3. Idem Laici sub poenâ Excommunicationis, per sententiam inferendæ, prohibentur publicè, ac privatim de Catholicæ Fidei Mysterijs disputare *c. quicumque 2. §. inbibemus 2. b. tit. in 6.* Et afficit prohibitio hæc etiam Laicos alias doctos, ut contra *Cajet. 2. 2. q. 10. art. 7. dist. 1. probabilis docer Gloss. in §. inbibemus cit. V. tenet, Franc. ibid. n. 1. Sylv. V. Disputatio n. 1. Azor p. 1. l. 8. c. 26. q. 1. Sanch. l. 2. mor. c. 6. n. 5. Farin. prax. q. 178. n. 112. Barbof. in c. 2. cit. n. 17. Passerin. ibid. n. 24. Pirhing. hic n. 27. Wiestner n. 29. Reiffenstuel n. 27.* Ratio est, quia Jus indistinctè, & generaliter loquitur; cons. etiam indistinctè intelligi debet *arg. c. quia circa 22. de privil.* Accedit, quia Leges feruntur de ijs, quæ communiter accidunt *l. nam ad ea 5. ff. de LL.* frequentius autem accidit, Laicos non habere sufficientem scientiam rerum Fidei, & Scripturarum. igitur omnibus censeri debet de Jure prohibita esse illa Disputatio, etiam Doctis, & ex eo quoque capite, ne fortè de hujusmodi Mysterijs disputante Laico docto, idem faciendi ansam accipiant rudes.

Contra sub Excommunicatione in *c. quicumque cit.* lata non continentur Clerici, quippe cum textus tantum loquatur de Laicis. *Proceditque* hoc, etsi primâ solùm tonsurâ initiati sint, & indocti. *Pirhing hic n. 27. Dixi, sub Excommunicatione Clericos non contineri; nam & ipsis disputare cum Hæreticis de Fide regulariter illicitum est can. cum quibus 36. fin. caus. 24. q. 3. Gloss. ibid. V. certamen Farin. prax. q. 178. n. 113. indoctis quidem; quia ita disputando se exponunt periculo errandi in multis: doctis autem; quia ex hujusmodi disputatione cum Hæreticis, præsertim illis, qui aliquo modo Magistri erroris fuerunt, cum obstinati plerumque, & pertinaces in errore sint, nul-*

la est spes conversionis, sed potius major perturbatio pacis inde consequitur, ut adeo imprudenter se gerant, qui ita disputant cum talibus Hæreticis. Sanch. *l. 2. mor. c. 6. n. 12.* Becan. *tr. de Fid. c. 15. q. 7. n. 11.* Pirhing *n. 27. cit. 7. extenditur 2. cum alijs.* Imò si hujusmodi Disputatio instituatür coram Catholicis simplicioribus, periculum est, ne auditis Hæreticorum argumentis, in Fide incipiant dubitare, aut titubare. Sanch. *l. cit. n. 10.* Farin. *n. 126.* Pirh. *n. 27. Extens. 3.*

66 Sunt tamen nonnulli casus, in quibus Clerici, & in aliquibus Laici saltem docti de Fide disputare tum inter se, tum cum Hæreticis sine peccato, & periculo Excommunicationis possunt. Nam 1. possunt Clerici, modò circa Fidei controversias sufficienter instructi sint, disputare de Fide cum Hæreticis etiam publicè coram instructis, & firmis in Fide ad confutandos eorum errores, & ad defensionem Fidei. S. Thom. *2. 2. q. 10. art. 7. in Corp. Gloss. in can. cum quibus cit. V. certamen*, Farin. *q. 178. cit. n. 122.* Passerin. *in c. 2. h. tit. in 6. n. 17.* Pirhing *hic n. 28.* cum alijs. 2. licita est disputatio de Fide cum Hæreticis etiam coram simplicioribus, si is, qui cum ipsis disputat, non tantum sit vir doctus, sed etiam clarus, qui possit ita perspicuè proponere solutiones Argumentorum, ut etiam rudes, & simplices id possint facillè capere, quod tamen raro contingit: imò quando simplices ab Hæreticis sollicitantur ad Hæresin, tenentur viri docti coram simplicibus se illis opponere, & veram Fidem disputando defendere. Sanch. *n. 10.* Farin. *n. 126.* Pirh. *n. 27. Extens. 3.* cum communi. 3. non est prohibita etiam Laicis disputatio de rebus Fidei materialis, quæ fit exercitij tantum causâ inter idem sentientes, & credentes, non ad persuadendam opinionem, vel sententiam disputantis ei, cum quo disputatur, sed ad veritatem elucidandam, & confirmandam, modò non adsint simplices, qui inde occasionem accipiant dubitandi de Fide S. Thom. *l. cit.* Sanch. *n. 9.* Farin. *n. 123.* Pirhing *limit. 2.* Passerin. *n. 10.* 4. Si in aliquo loco esset Hæreticus, qui perverteret fideles, nec adesset Clericus, vel Religiosus, qui ei posset resistere, cum illo Hæretico disputare Laicus, si sufficienter doctus sit, non solum licitè posset sed ad id etiam lege Charitatis teneretur, ut proximorum salutem Spirituali consulere. Sanch. *n. 7.* Becan. *n. 6.* Pirh. *limit. 3.* Passerin. *n. 23.* 5. in Germania nostra, & alijs locis, ubi Hæretici cum Catholicis permixti degunt, Laici, præsertim docti, non peccant, neque Excommunicationem incurrunr, etsi cum Hæreticis disputent de Fide; quia in his terris Constitutio *c. quicumque cit.* non est usu recepta, aut per contrariam consuetudinem abrogata. Sanch. *n. 7.* Becan. *n. 6.* Pirhing *limit. 4.* Passerin. *n. 25.* Wiestner *n. 29. fin.* Reiffenstuel *n. 28.*

Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 58.* Plura de his videri possunt apud *cit.* & apud Palao *tr. 4. D. 2. p. 4. à n. 1.*

4. Injungitur Episcopis, & Archiepiscopis Visitatio saltem annua Dioecesium, & Provinciarum, in Virtute S. Obedientiae, & sub pœna Depositionis *c. excommunicamus 13. §. adjicimus 7. & §. fin. h. tit.* Possunt tamen ipsi hujusmodi Visitaciones obire per Archidiaconos, aut alias honestas, & idoneas personas, ut *ibidem* dicitur, quibus proinde incumbet, eos, quos Hæresi infectos, vel de ea suspectos invenerint, deferre ad suos Antistites, ut coram istis Hæresin abjurent, aut de ea se purgent, vel subeant pœnas Hæreticorum. Sed hinc ulterius.

Dubium oritur 1. an Hæretici ab Ecclesia cogi possint ad abjuracionem erroneorum dogmatum? Rationem dubitandi faciunt ea, quæ Tit. *præc. n. 42.* dicta sunt de Infidelibus, ubi cum communi DD. negatur, illos directè cogi posse ad deferendos suos errores, & amplectendam veritatem Fidei Christianæ. videtur autem esse paritas istorum cum Hæreticis.

Sed ab Ecclesia ad hujusmodi abjuracionem compelli Hæreticos posse est certa DD. Orthodoxorum sententia, probaturque 1. ex §. *adjicimus cit.* alijsq; textibus præsentis Tituli. 2. ex usu antiquissimo Ecclesiæ, quem jam olim S. Augustinus *Epist. 43. contr. Donatistas* vindicavit. 3. ex ratione; quia Hæretici Ecclesiæ, quam per Baptismum ingressi sunt, subiecti manent *c. majores 3. §. fin. de Baptism. & Trid. sess. 14. c. 2. de Pœnit.* neque enim per hoc, quod ab ea defecerint, se liberare à Jurisdictione illius possunt. atqui subditos suos quivis Magistratus compellere ad pristinam fidem, & obedientiam potest, ergo & Ecclesia.

Ex quo cadit Ratio dubitandi opposita; negatur enim paritas cum Infidelibus, qui quod per Baptismi januam in Ecclesiam nunquam ingressi sint, etiam eidem nullo modo sunt subditi.

Dub. 2. an liceat Principi Catholico contra Hæreticos ob solam Hæresin bellum gerere, eosque bello adigere, ut Hæresin deserant, & veram Religionem amplectantur? *re. distinguendo*: Vel enim Hæretici isti hujusmodi Principi in temporalibus subiecti sunt, vel non sunt subiecti. Si primum, nisi aliud quid obstet, Principes Catholici non tantum possunt, sed etiam tenentur contra subditos sibi Hæreticos ob solam Hæresin bellum gerere, eosque sic expugnare, quando alio modo eosdem coërcere non valent. Ita communis, & certa sententia teste P. Reiffenstuel *hic n. 225.* Ratio est, quia, ut *ex infra n. 221.* dicendis patebit, eos tolerare in Provincijs suis non possunt, sed exterminare tenentur, igitur si hoc aliter præstare nequeunt, Hæreticis forsan invalescentibus, & aliorum Hæreticorum auxilium implorantibus,

- tibus, utique bello eos expugnare poterit, ac tenebitur Princeps Catholicus.
- 72 *Si secundum*, tales Hæreticos bello aggredi ob solam Hæresim propria autoritate non potest Princeps Catholicus; quia caret omni Jurisdictione respectu ipsorum: potest tamen, nisi aliud quid obstat, contra eos bellum gerere autoritate Summi Pontificis, ad id exhortantis, suadentis, vel mandantis; quia Papa, tanquam supremus Ecclesie universalis Pastor, etiam in Hæreticos, utpote per Baptismum jam semel sibi subiectos, Jurisdictionem habet: conf. sicut alius Princeps rebelles sibi subditos, ita & ipse Hæreticos, si alia media non proficiant, per se, vel per alios coercere, & expugnare potest. Reiffenstuel n. 228.
- 73 Addidi autem in utroque n. *præc. Nisi aliud quid obstat*: obstat autem, si ex vi publicæ, & validæ Pacis, vel per alium legitimum Contractum, aut Pactum publicum securitas ipsis promissa, & præstita fuisset; tunc enim non possent eijci, nisi nova justa causa eos eijciendi superveniat v. g. periculosa machinationes &c. nam cuilibet, etiam Hæretico, servanda Fides est.
- 74 5. Cum Archiepiscopi, & Episcopi extirpandæ Hæresi, quæ sub specie pietatis indies invalescebat, non viderentur sufficere, ita sollicitante S. Dominico, Religiosissimi Ordinis Prædicatorum fundatore, institutum est à Summo Pontifice Officium Inquisitionis in Hæreticam pravitatem, & constituta successu temporis in varijs Regnis, & Provincijs ejusdem S. Inquisitionis Tribunalia, Romæ autem S. Congregatio Cardinalium, quæ eandem Inquisitionem, per alias Provincias, & Regna exercendam, dirigeret, erecta à Paulo III. *Const. incipit licet ab initio 12. Cal. Aug. 1542.* quam deinde alij Pontifices Successores approbârunt, & facultates respectivè auxerunt, prout constat ex *Const. 74. Sixti V.* & refert Card. de Luca *Relat. Cur. Rom. Discurs. 14. n. 2. & seqq.* Vincent, Petra tom. 3. comment. fol. 165. n. 8.
- 75 Dub. 1. an Inquisitores sint Judices Ordinarij, an Delegati? Ordinarios esse affirmant Archidiaconus, in c. ne aliqui 10. h. tit. in 6. Host. in c. ad abolendam 9. eod. n. 2. Joan. Andr. *ibid. n. 3.* & videtur probari ex ratione; quia habent Jurisdictionem ad universitatem causarum, concernentium Fidem, & Hæresim, ab Apostolica Sede sibi concessam per modum Officij, seu publici Magistratus, ut colligitur ex c. ne aliqui cit. c. ut officium 11. & c. ut commissi 12. h. tit. in 6. atqui Jurisdictione, quæ per modum Officij concessa est, seu quæ competit ratione muneris, & Magistratus, quem quis gerit, Ordinaria est, non Delegata per *textum*, & Gloss. l. more 5. V. suo *Jure ff. de Jurisd.* ergo &c. Conf. Jurisdictione Inquisitorum non minùs descendit à Jure, seu Canone, quàm Jurisdictione Episco-

porum, & aliorum Prælatorum Ordinariorum. atqui Jurisdictione, quæ descendit à Jure, ordinaria est arg. l. & quia 6. ff. eod. ergo &c.

Sed verius dicitur esse Delegata. Ita Franc. in c. ne aliqui cit. n. 1. Decius in c. causam 16. de Offic. Deleg. n. 10. Sylv. v. Hæresis 2. q. 1. n. 2. Azor p. 1. l. 8. c. 18. q. 6. Farin. *prax. q. 186. n. 39.* Scaccia de *Judic. c. 67. n. 5.* Molin. *tr. 5. de l. & l. D. 28. n. 4. & bos verò.* Petr. Barbof. in l. cum Prator, 12. S. 1. n. 44. & 51. ff. de *Judic.* Aug. Barbof. in c. per hoc 17. n. 4. b. tit. in 6. Palao *tr. 4. D. 28. p. 12. S. 2. n. 2.* Delben. p. 2. de *Offic. S. Inquis. dub. 195. sect. 2. n. 5.* Vinc. Petra tom. 3. comment. fol. 167. n. 22. Pirhing *hic n. 131.* Schambog. *ibid. n. 54.* Ratio est, quia Jurisdictionem, quam exercent, non exercent nomine proprio, sed alieno, & Apostolica autoritate, ut colligitur ex c. ut officium cit. ibi, Ut Officium Inquisitionis contra Hæreticos - - auctoritate Apostolica possitis efficacius adimplere. atqui exploratum est, Jurisdictionem, quæ non proprio, sed alieno nomine exercent, delegatam esse l. et si Prator 3. ff. de *Offic. ejus, cui mandat. &c.* & dictum est Libr. 1. Tit. 29. n. 1. ergo &c.

Addo tamen, hanc ipsorum Jurisdictionem Ordinariæ valde affinem esse, ut notant Molin. l. cit. n. 1. & 4. v. illa verò, Barbof. in c. 17. h. tit. n. 11. & 12. Palao n. 3. cit. Petra fol. 167. n. 29. nam 1. adheret Officio, 2. est ad universitatem causarum Fidei, 3. est perpetua, ita ut non cedente, vel decedente sufficiatur alius, 4. non expirat morte Papæ delegantis, etiam reintegra, & quoad negotia nondum cœpta, quamvis data sit usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, vel Summi Pontificis, ob favorem Fidei, ne casus eveniat, in quo vel non possit contra Hæreticos inquiri, vel inquisitio diutius, quàm par sit differri debeat. Farin. l. cit. n. 23. 5. subdelegando etiam alijs committi potest, prout supponitur c. ne aliqui 10. h. tit. in c. Clem. 1. § porro ibi, *Coram dictis Inquisitoribus, & substitutis ab eis eod.* quod etiam concedunt Constitutiones Clementis VII. & Pij II. apud Pegna *Direct. p. 3. q. 13. comm. 62.* Azor p. 1. l. 8. c. 18. q. 10. Palao S. 2. cit. n. 12. Ex quo sequitur, quod Officium hoc habeat perfectiones Jurisdictionis Ordinariæ, & Delegatæ, sublati cujuslibet imperfectionibus.

Ex quo cadunt Argumentum, & 78 ejus confirmatio in contrarium allata; solum enim probatur, quod Jurisdictione Inquisitorum magnam affinitatem cum Ordinaria Jurisdictione habeat.

Dub. 2. Qualis esse debeat, cui committitur Inquisitionis officium? R. In assumendis ad hoc Officium requiritur vitæ probitas, prudentia non mediocris, doctrina non vulgaris, & quidem tam in Theologia,

gia, quàm in Jure Canonico : in Theologia quidem, ut Hæreses cognoscat ; in Jure Canonico autem, ut causas, & lites possit decidere. Azor p. 1. l. 8. c. 18. q. 3. Farin. prax. q. 186. n. 54. Palao tr. 4. D. 8. p. 12. §. 2. n. 25. Qui ab alio, quam Papâ deputantur ad hoc Officium, debent attingisse annum ætatis 40, prout statuitur in *Clem. 2. b. tit.* aliàs constitutio erit nulla, quippe facta contra præscriptam formam, & conditionem à Jure requisitam. Gloss. in *Clem. cit. V. committi*, Farin. n. 50. l. cit. Palao n. 24. Et sic major ætas requiritur in Inquisitore Fidei, quàm in Episcopo, licet iste sit Ordinarius Inquisitor : cujus fortè ratio est, quia Officium Inquisitionis non cum tanta indagazione solet committi, cum quanta indagazione constituitur Episcopi. Abb. in c. 7. §. 1. n. 6. de elect. Azor q. 4. Palao n. 24. cit. Pirhing n. 132.

80 Dixi, *Qui ab alio, quàm à Papa deputantur* ; nam si à Pontifice immediatè eligantur, non videtur necessarium, ut attingant annum 40. sed in quacunque ætate eligantur, valet eorum electio, sive Pontifex sciat illorum ætatem, sive nesciat, Farin. n. 51. Palao n. 24. cit. v. notanter. Et hinc in Inquisitoribus, qui eliguntur à Consistorio Cardinalium, ut idem Farin. l. cit. in fin. notat, parum hodie curandum est de eorum ætate ; quia eliguntur de scientia Summi Pontificis.

81 Eandem ætatem, & qualitates, quæ juxta n. 79. requiritur in Inquisitoribus, Gloss. & Joan. Andr. in *Clem. 2. cit.* requirunt etiam in Commissarijs Inquisitorum, & Episcoporum ; quia substitutus sapere naturam principalis debet l. *parabolanos 18. C. de Episc. & Cleric.* Sed et si hoc verum sit de cæteris qualitatibus, quoad ætatem minus aliquid requiri, patet ex *Constit. Clem. VII. incipit Cum sicut*, ubi Pontifex, *decernimus, inquit, insuper, ut vestros Vicarios, sive Commissarios instituere valeatis viros scientiâ probos, providos, aptos, & idoneos, dummodo ætatis trigessimum annum attigerint.* Azor p. 1. l. 8. c. 18. q. 4. v. quæres deinde. Molin. tr. 5. D. 28. n. 23. Palao l. cit. n. 26. Neque mirum est, minorem ætatem requiri in Commissario, quàm in Inquisitore, cum rarò illis committatur integra Inquisitorum potestas.

82 Dub. 3. quomodo procedere Inquisitores in cognitione causarum Hæreses, & aliarum, cum ista connexarum, atque incidentium debeant ? 32. possunt procedere vel conjunctim cum Episcopis, aut Capitulis, tanquam Judicibus Ordinarijs, vel separatim ab istis c. *per hoc 17. b. tit. in 6. Clem. 1. §. propter 1. & Extr. 1. int. comm. eod.* Si separatim procedant, instruere quidem Processum, & prosequi illum seorsim usque ad sententiam condemnatoriam possunt, condemnare tamen de Hæresi convicti. R. P. Sebmaltzgrueber L. V. T. I.

etum nequeunt, nisi Processu Episcopis communicato, prout patet ex §. *propter cit.* & notat *ibid.* Gloss. *V. contra eos.*

Dixi, *Condemnare non possunt* ; nam 83 an unus sine altero procedere possit ad sententiam definitivam, per quam reus omnino absolvatur, quia delictum plenè probatum non fuit, vel ad inrerlocutoriam, quæ vini definitivæ habet, per quam reus absolvitur à tortura, vel alia pœna, controversum est inter DD. Affirmant Gloss. *V. contra eos cit.* Clar. §. *Hæresis n. 5.* Molin. tr. 5. D. 28. n. 15. Azor p. 1. l. 8. c. 18. q. 16. Farin. q. 186. n. 60. qui dicunt hanc sententiam, stando solo Jure communi, esse communiorum, & probabiliorem ; quia in *Clem. cit.* solum prohibetur unus sine altero ferre Sententiam contra Hæreticos. ergo per Argumentum à sensu contrario pro accusatis sententiam ferre potest unus sine altero. *Negativa* tamen sententia tutior, æquior, & magis recepta est, teste Pirhing *hic n. 150.* quam proinde in praxi servandam putat Palao tr. 4. D. 8. p. 13. n. 19. quia quamvis de sola condemnatoria expressè loquatur textus, tamen hoc ipso, quòd requirat, ut sententiam præcedat communicatio Processuum inter utrosque Judices, ut examinetur, utrum reus condemnandus sit, vel absolvendus, tacitè etiam requiritur, ut reus non absolvatur ab uno Judice sine altero, sicut non potest condemnari ab uno tantum.

84 Quod dictum est de Inquisitoribus, etiam dicendum de Episcopis, si procedant separatim ab Inquisitoribus ; nam nec Episcopus coram Judicio suo convictum de Hæresi condemnare potest, nisi Processu communicato Inquisitoribus. *Procedit* autem hoc in ijs duntaxat Provincijs, ubi Officium S. Inquisitionis viget ; nam ubi non viget, uti in Germania, Polonia, Gallia, possunt Episcopi totum processum inchoare, & per Sententiam etiam condemnatoriam soli finire, absque hoc, quòd Processum suum transmittant ad alienam Dioecesim, vel Provinciam, ubi Inquisitionis Officium, & inquisitores existunt, eò quòd in præfatis locis, ubi Inquisitio non viget, munus Inquisitorum obeant, & eandem, quam illi, in Hæreticos potestatem habeant, ac privatè exerceant Episcopi, uti post Azor p. 1. l. 8. c. 18. q. 2. bene observat Pirh. *hic n. 130.* & receptus probat usus, ac consuetudo.

85 Quod si Episcopus, & Inquisitores discordes sint, Papam consulere, vel causam cum summaria informatione ad eum omnino remittere debent c. *per hoc 17. b. tit. in 6. & ibi Vivian. in Ration. Barbof. n. 1. §. 152. Passerin. n. 11. Vallens. hic §. 2. n. 5. Pirh. n. 145. Wiestner n. 35. post Farin. prax. q. 186. n. 64.* Similiter ad Papam referri debet, quando Episcopus, etiam Titularis, & Episcopus, quando Inquisitor, uterque autem, quando Sedis Apostolicæ Legatus, vel

vel alius ejus Officialis Hæreticæ pravitatis infimulatur, ut statuitur *c. inquisitores* 16. b. tit. in 6. Extrav. 3. int. comm. eod. & Trid. sess. 24. c. 5. de reform. Decian. tr. crim. sess. 5. c. 21. n. 5. Molin. tr. 5. D. 20. à n. 19. Farin. q. cit. à n. 113. § 124. Palao tr. 4. D. 3. p. 12. §. 2. à n. 6. Vivian. in c. 16. cit. pr.

§ 5. sed si eum. Barbof. *ibid.* n. 1. Passerin. n. 1. § segg. Vallens. hic § 2. n. 3. Pirhing n. 134. § duob. segg. Schambog. n. 55. Reiffenstuel n. 446. apud quos plura videri possunt circa modum instituendi Inquisitionis processum.

§. III.

De Pœnis Hæreticorum, & præcipuè de Spiritualibus.

S U M M A R I U M.

86. &c. Quomodo Hæretici ab Ecclesia puniri possint?
 89. &c. Quenam pœnæ Spirituales in eos sint latae?
 91. &c. Quinam istas incurrant?
 97. &c. Conditiones requisitæ, ut incurrantur?
 101. &c. Pœnæ sepelientium Hæreticos &c. contra Ecclesiæ prohibitionem.

104. &c. An Irregularitas, ob Hæresin contracta, hac relicta, perseveret?
 106. &c. Quis in ea dispensare possit?
 109. &c. An Beneficia antè obtenta ob Hæresin amittantur ipso Jure?
 115. &c. An Irregularitatem istam, & inhabilitatem incurrant etiam filij, & nepotes Hæreticorum?
 119. &c. Quid de his dicendum in Germania?

86. **Q**UÆRITUR 1. quomodo Hæretici ab Ecclesia puniri possint? Videntur non posse puniri; quia, ut *suprà* n. 1. dictum est, Hæresis est error, ac proinde actus intellectus internus. atqui ad actum internum potestas Ecclesiæ, quæ exterior est, se non extendit *can. cogitationis* 14. de Pœnit. dist. 1. c. sicut 33. & c. tua nos 34. de Simon.

Sed distinguendum est inter Hæresin materialem, & formalem. *Materialis* non subjacet Censuris, & pœnis alijs in Hæreticos latis; quia hæ non feruntur, nisi ob culpam conjunctam cum pertinacia, atqui in hæresi materiali vel nulla adest culpa, vel si adest, saltem pertinacia abest. *Ex quo sequitur*, Hæreticos materiales, si ad Catholicam Fidem convertantur, non debere absolvi ab Excommunicatione, nisi ad cautelam; sed sufficiet, si faciant Professionem Fidei, & suscipiant Sacramentum Pœnitentiæ, ut observat Layan. l. 2. tr. 1. c. 13. n. 4. König hic n. 14. §. Hæresis.

87. In Hæresi formali distingui debet inter Hæresin purè mentalem, sive merè internam, & inter eam, quæ manifestatur verbis, vel alijs signis externis, Hæresin internam sufficienter exprimentibus. *Prior* iterum Censuris, & pœnis relatis obnoxia non est, prout docent Azor p. 1. l. 8. c. 10. q. 3. Sanch. l. 2. mor. c. 8. n. 2. Barbof. in c. 13. b. tit. n. 2. Wagnereck l. cit. not. 2. Zœf. hic n. 1. König n. 15. Reiffenstuel n. 234. § 235. Vincent. Petra tom. 3. fol. 177. num. 11. & probatur per rationem dubitandi allatam. *Ex quo fit*, Hæreticum mentalem à quocunque Confessore, qui à mortalibus absolvendi potestatem habet, posse absolvi, Sanch. n. 3. *Neque obest*, quòd peccatum Hæresis consummeretur sola mente; quia ut peccatum aliquod punibile sit

ab Ecclesia, non sufficit, ut illud in sua specie consummatum sit, sed requiritur insuper, ut etiam aliquo modo externo sufficienter manifestetur. Sanchez. n. 2.

Posterior puniri hujusmodi pœnis potest, ut monet Navarr. *Man. c. 27. n. 56.* Suar. *D. 21. de fid. sess. 2. à n. 9.* Sanch. l. cit. num. 6. Wietner hic num. 41. *Proceditque* hoc, etiamsi signa illa adeo occultè sint data, ut in Judicio probari Hæresis ijs prodita nequeat; nam adhuc ab hujus reo incurrantur pœnæ Hæreticorum, non quidem illæ, quæ requirunt sententiam, sed quæ sunt latae sententiæ, & ab ipso Jure inflictæ; nam hæ accusationem, & Judicalem hominis sententiam non requirunt. Azor c. 10. cit. q. 4. Sanch. n. 6. Pirhing n. 16. Wietner n. 41. Reiffenstuel n. 236. Petra n. 11. & communissima TT. & Canonistarum.

QUÆRITUR 2. quanam pœnæ Spirituales in Hæreticos latae sint? *R.* 1. incurritur ab ipsis Excommunicatio major ipso Jure *c. cum Christus* 7. c. ad abolendam 9. c. excommunicamus 13. § 15. pr. & c. noverit 49. de sent. Excomm. Estque Excommunicatio hæc reservata Papæ per *Bullam Cœne* cas. 1.

2. Privantur ipso Jure Sepulturâ Ecclesiasticâ *c. sicut* 8. §. si autem h. tit. & c. quicumque 2. eod. in 6.

3. Fiunt Irregulares, ita, ut nec Ordines suscipere, nec in susceptis sine Dispensatione ministrare possint, etiamsi ab Hæresi sint absoluti *can. saluberrimum* 21. caus. 1. q. 7. c. quicumque cit. S. Hæretici 2. & c. statutum 15. pr. h. tit. in 6.

4. Redduntur inhabiles ad Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, aliæque Officia publica obtinenda: estque collatio talis ipso Jure irrita per *textus cit.*

§. Pri-

5. Privantur Dignitatibus; Beneficijs, & Officijs, ante eorum in Hæresin lapsum obtentis *c. ad abolendam 9. h. tit. & c. ut commissi 22. eod. in 6.*

6. Quicumque Viri Ecclesiastici, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum, Dignitates, Personatus, & quæcunque alia Beneficia Ecclesiastica sunt adepti, ijs privantur perpetuò, ita, ut nec mortuâ personâ intermediâ possint ea consequi; & si receperunt ea scienter, ad alia, & similia nequaquam imposterum admittuntur *c. quicumque cit. §. adhuc 3. Joann. Andr. ibid. V. perpetuò, Franc. not. 2. Pirhing bic n. 51. König n. 20. Reiffenstuel n. 291.*

91 Quaritur 3. Quinam incurrant Excommunicationem, & pœnas hætenus relatas? *1.* incurunt illas *1.* ipsi Hæretici: quod *c. excommunicamus 13. cit. §. qui autem 2.* extenditur etiam ad suspectos de Hæresi, nisi juxta considerationem suspitionis, & qualitatis personæ se debite purgaverint; nam & isti excommunicari, & virari debent, donec competenter satisfecerint: & si per annum contumaciter in Excommunicatione persisterint, tanquam Hæretici sunt condemnandi: imò ut post *Hofiens.* & *Joann. Andr. in c. cit. n. 4.* tradit *Abb. ibid. n. 11. Barbof. n. 10. Pirhing n. 32.* ipso Jure pro Hæreticis habentur, ita, ut tantum opus sit sententiâ declaratoriâ criminis. Potest tamen ab ita suspecto purgari contumacia, ostendendo, se legitime tuisse impeditum, ne in Judicio citatus compareret; & tunc effugiet omnem pœnam, *Pirhing n. 35. not. 4.*

92 2. Eorum *Credentes*, seu illi, qui erroribus ipsorum five in particulari, five in communi, five expressè, five confusè per signum aliquod externum assentiuntur: qualis esse censetur ille, qui sciens, aliquem esse Hæreticum, credit, ipsum rectam fidem habere, est in particulari nesciat ipsius errores; item qui dicit se credere, quicquid ipse credit; qui animo assentiendi ipsius erroribus prædicationem, vel lectionem ipsius audit; imò etiam ille, qui licet non habeat animum assentiendi absolutum, habet tamen illum sub conditione, si ipsi rationes, & motiva Hæretici placuerint; nam talis jam credens est, saltem sub conventionem: quod videtur sufficere, ut talis sub credente comprehendatur; quia ratione illius animi dubij amittit fidem, *Navar. Mm. c. 27. n. 55. Sanch. l. 2. mor. c. 10. n. 2. Suar. D. 21. de Censur. scilicet 2. n. 6. & D. 24. de Fid. scilicet 1. n. 1. §. 3. Bonacin. D. 2. de Censur. q. 5. p. 3. n. 2. Laym. l. 2. n. 1. c. 14. n. 5. Barbof. in c. 13. h. tit. n. 20. Palao IV. 4. D. 3. p. 5. n. 1. Pirhing bic n. 106. Reiffenstuel ibid. n. 248.*

93 2. Eorum *Receptatores*, seu illi, qui Hæreticis ob causam Hæresis fugientibus, seque occultantibus alicubi hospitium præbent *c. sicut 8. h. tit. Azor p. 1. l. 8. c. 15. q. 2. R. P. Schmalzgrueber L. V. T. I.*

Farin. prax. q. 182. n. 134. Sanch. l. cit. n. 10. Suar. scilicet 1. cit. n. 4. Laym. n. 5. Palao n. 4. Passerin. in c. 11. h. tit. in 6. n. 11. Pirhing n. 112. Schambog. n. 30. König n. 8. Reiffenstuel n. 249. Neque ad hunc effectum requiritur multiplicata receptio, sed sufficit, si unica vice receperis; licet enim *receptare* secundum Grammaticos sonet iterationem, & repetitionem; at secundum Ecclesiæ morem accipitur in simpliciori significatione, & pro uno duntaxat actu, ut *l. cit.* notant *Suar. Palao, Farin. n. 152.*

4. *Fautores*, seu qui Hæreticis ob causam Hæresis favorem præstant; quod fieri potest omissione, & commissione. *Omissionem*, si, qui teneretur eos capere, aut Judicibus indicare, eos non capit, non indicat; si captos, & curæ suæ commissos non custodit diligenter; si puniendos non punit &c. *Commissione*: quod fieri potest verbis, aut factis. *Verbis* favet, qui laudat Hæreticum, ut talis est, affirmans esse virum probum, injustè ipsum damnari; qui consilium ipsi dat, ut possit errores suos celare, & condemnationem effugere: *Factis*, qui Hæreticos occultat in domo, auxilium illis præbet, ut effugiant, aut alia facit, ex quibus Inquisitionis officium erga ipsos impeditur. *Azor q. 7. Sanch. n. 11. Laym. n. 5. Palao n. 6. Barbof. n. 23. Pirhing n. 114. König n. 8. Wiefner n. 43.*

5. *Defensores*: quod dupliciter fieri potest, scilicet defendendo Hæretici errores, & defendendo ejus personam ob causam Hæresis. *Errorum* defendere dicitur, qui argumenta in ejus favorem facit, & contrarias objectiones dissolvit; qui verbis laudat, scriptis extollit &c. five deinde errori defenso assentiatur, five non; in foro enim externo præsumitur errori assentiri, & tanquam Hæreticus omni Hæretico deterior est condemnandus *can. qui aliorum 32. caus. 24. q. 3.* *Personam* propter causam Hæresis defendere dicitur, qui impedit, ne capiatur à Judice, aut captum ab eo liberat; qui quovis modo vi, dolo, muneribus, potentia &c. facit, ut tuto vivat, eumque in, vel extra Judicium protegit &c. *Azor q. 6. Sanch. n. 18. Farin. n. 63. Palao n. 5. Barbof. n. 2. Pirhing n. 113. König n. 8. Wiefner n. 45. Reiffenstuel n. 250.*

Dixi *Ob causam Hæresis*; nam *1.* qui Hæreticos recipiunt, eos defendunt, aut ipsis favent ob aliam causam, quam causam Hæresis, non incurunt Excommunicationem, vel alias Juris pœnas, ut *Caupones*; quia latæ sunt in Hæreticos ratione Hæresis, ideoque non extenduntur ad alios, nisi quatenus in Hæresi ipsidem favent. *Azor q. 8. fin. Sanch. n. 19. Pirhing n. 116. not. 2.* *2.* Idem dicendum de ijs, qui recipiunt, vel defendunt Hæreticum coacti per vim, vel metum mortis illatum, non tanquam Hæreticum, sed ut vitam suam tueantur; quia *Leges hu-*

manæ non obligant cum certo, aut probabili vitæ periculo. Azor q. 5. Farin. n. 162. Pirhing l. cit. 3. Similiter nullam poenam incurrun- tur, qui recipiunt Hæreticos, ignorantes, illos esse Hæreticos. Gloss. in c. 8. V. ille quoque, & V. non possit h. tit. in 6. Farin. n. 163. Pirhing l. cit.

97 Quæritur 4. quanam condiciones requirantur, ut quis ob Hæresin incurrat Excommunicationem? *u.* requiruntur hæc quatuor condiciones.

1. Ut sit Hæreticus formalis; nam Hæretici materiales, qui ex ignorantia solum peccant, & parati essent errores suos deserere, si veritatem agnoscerent, Censurâ hac non ligantur, cum ipsidem desit pertinacia, & sic non sint propriè Hæretici. Laym. l. 2. tr. 1. c. 14. n. 1. Pirhing bic n. 16. Engl n. 6. König n. 4. Schambog. n. 14. Wiestner n. 46. Reiffenstuel num. 234. § 239. Et pro talibus in Germania habentur Rustici, & alij homines simpliciores, qui sectam Lutheri, & Calvinii profitentur: qui proinde absolvi possunt à suis Parochis, si postquam examinati sunt, appareat, quòd in ignorantia invincibili, vel saltem mortali non culpabili hætenus fuerint constituti, edita prius Professione Fidei coram testibus, si id fieri possit: nisi tamen in aliqua Diocesi consuetudo vigeat, ut tales etiam Materiales Hæretici mittantur ad Episcopum, vel ejus Vicarium, aut ad illos, qui habent facultatem absolvendi ab Hæresi, qui eos examinent, ac judicent, an factam Sectam tenuerint ex ignorantia invincibili, vel culpabili quidem, sed sine pertinacia. Laym. tr. 1. cit. 1. 13. n. 4. Pirhing n. 16. Reiffenstuel n. 239.

2. Ut Hæresin animo conceptam verbis, vel alijs signis externis sufficienter prodatur; nam Hæresis merè interna Excommunicationi non subest, neque absolutio ab illa est reservata, ut dictum n. 87. & notat Sanch. l. 2. mor. c. 8. n. 2. § seqq. Laym. c. 14. n. 1. Engl bic n. 6. Pirhing n. 17. König n. 4. Schambog. n. 14. Reiffenstuel n. 240. Dixi merè interna; nam ob exteriorem, etiam penitus occultam, quia v. g. aliquid contra Fidem voluntariè, & pertinaciter quis mente affirmat, & ore, ac linguâ exterius profert, etiam nemine presente, & audiente, Excommunicatio ipso Jure incurritur. Pirhing l. cit. cum alijs. Ratio est, quia tunc Hæresis est verè externa, ac per se non est occulta, sed solum per accidens: ideoque potestati & Jurisdictioni Ecclesiasticæ est subiecta.

99 3. Ut externa actio, per quam Hæresis interna proditur, sit ex se mortaliter peccaminosa, & non tantum, prout substat actui interno, & ab illo procedit; quia Excommunicatio, & similes poenæ graves non imponuntur, nisi propter peccatum mortale externum. Laym. n. 3. Engl n. 6. König n. 4. Schambog. n. 14. Wiestner n.

48 Reiffenstuel n. 242. Hinc non est excommunicatus, qui Hæresin internam manifestat alteri animo capienti ab eo consilium, aut instructionem; quia talis manifestatio non est actus malus, sed bonus, qui ab Ecclesia puniri non potest; nec est professio Hæresis, sed potius detestatio. Azor c. 10. q. 5. Sanch. n. 20. Laym. n. 3. Pirhing n. 18. Reiffenstuel n. 244. Limitant aliqui, & volunt hoc intelligi tantum, quando consilium petitur animo acquiescendi consilio; secus enim negant. Sed melius etiam hoc casu procedere existimat Sanch. l. cit. quia mens illa in Hæretici animo latet, nec exterius aliquo modo explicatur; ipse verò actus externus petendi consilij bonus est, nec ad profitendam Hæresin ordinatus.

4. Ut actus externus ponatur, aut omissatur animo Hæresin asserendi, profitendi; nam si alio animo fiat, Hæresis peccatum non est, conf. nec poenis ejusdem obnoxius. Laym. n. 3. Pirhing n. 19. Engl n. 6. Schambog. n. 14. Wiestner n. 49. Reiffenstuel n. 241. Unde si quis legendo, narrando, vel disputando Hæresin, prius conceptam mente, pronuntiet linguâ, non animo, seu voluntate eam confirmandi, vel exprimendi errorem, sed tantum legendi, narrandi, vel disputandi gratiâ, non est Hæreticus externus; quia non profert illam ut propriam, sed ut alienam. Azor c. 10. q. 7. Sanch. n. 23. Pirhing n. 19. König n. 4. Reiffenstuel n. 245. Contra Hæreticus externus est, qui ex interna Hæresi, quam animo fovet, Sacro non interest, à S. Communionem abstinet, aut dum S. Hostia elevatur, non flecit genua, si quidem istæ omissiones prodeunt ex vi internæ Hæresis, & spectatis circumstantijs, censeri potest, eas positas animo virtualiter, & tacitè profitendi Hæresin. Secus est, si ob circumstantias oblivioni, aut inadvertentiæ probabiliter possint attribui, licet reipsa ex animo Hæretico proficiantur. Sanch. n. 16. Laym. n. 4. Pirhing n. 19. Engl n. 7. Schambog. n. 14. Reiffenstuel n. 243.

Quæritur 5. quam poenam incurrant, qui contra prohibitionem Ecclesiæ sepeliant Hæreticos, horum credentes &c. *u.* 1. incurrunt Excommunicationem, neque ab hac absolvantur, antequam satisfactionem congruam præstiterint, & corpus Hæretici ita tumulati exhumerint c. quicumque 2. pr. b. tit. in 6. Navar. bic conf. 12. n. 6. Farin. prax. q. 192. n. 45. Barbol. in c. 2. cit. n. 1. § 8. Wagnereck bic not. 3. Zoel. n. 2. Honor. n. 9. Pirhing n. 54. Schambog. n. 33. Wiestner n. 52. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 3. n. 37. & dictum est Libr. 3. Tit. 28. n. 53. Si plures fuerint, qui Hæreticum sepelierunt, & unus tantum illius ossa extumulavit, vel eadem ossa fuerint ab aliquo extraneo extumulata, omnes absolvi possunt; quia jam posita est conditio, ad cuius posi-

tionem cessat prohibitio absolvendi illos ab Excommunicatione, Farin. l. cit. n. 43. & hoc teste omnes.

2. Sunt suspecti de Hæresi: & propterea Inquisitor potest contra eos procedere, tanquam contra suspectos de Hæresi. Farin. n. 49. ubi addit cum Francisco Pegna, hanc Hæresis suspicionem, quæ oritur contra eos, qui Hæreticos sepeliunt, esse aliquando levem, aliquando vehementem reputandam, juxta personarum qualitatem.

3. Clerici, dantes sepulturam Hæreticis, vel eorum fautoribus &c. suo privantur officio, ad quod nunquam restituuntur absque indulto Sedis Apostolicæ c. excommunicamus 13. §. credentes v. sanè Clerici in fin. h. tit.

102 Immunes autem ab istis poenis sunt 1. qui Hæreticum sepeliri curant, non ex causa Hæresis, vel favore Hæresis, sed ne illius cadaver putredine aërem corrumpat, vel ob amicitiam, vel consanguinitatem, modo hoc fiat extra locum Sacrum, Farin. l. cit. num. 50. & apud hunc cit. 2. Qui sepeliunt Hæreticum ignorantes esse Hæreticum. Farin. num. 51. & sumitur ex c. quicumque cit. ubi poena Excommunicationis fertur in sepelientes scienter. 3. Qui metu coacti hoc fecerunt, ut colligitur ex c. eod. v. presumpserint; metus autem, & vis tollit præsumptionem.

104 Quæritur 6. utrum Irregularitas ad Ordines suscipiendos, & ministrandum in susceptis, item inhabilitas ad Dignitates, Beneficia, & Officia Ecclesiastica, per Hæresin contracta, hac relicta, vel ejurata, perseveret? Pugnant in hoc DD. sententiæ, ut videre est apud Farin. prax. q. 189. n. 82. & seqq. & q. 193. n. 66. & seqq. Palao tr. 4. D. 4. p. 5. n. 2. distinguit, & concedit quidem Irregularitatem, & Inhabilitatem istam perseverare, quando contracta est per Hæresin publicam, usque dum in ea fuerit dispensatum; contra verò, si orta illa fuerit ex Hæresi occulta, quod nullibi caveatur, hanc Inhabilitatem ex Hæresi occulta, hac per poenitentiam deposita, manere.

105 Imò Avil. p. 7. D. 4. dub. 2. Henric. l. 14. c. 4. n. 6. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 12. Pal. l. cit. p. 4. n. 2. Pirhing hic n. 46. Schambog, n. 28. Wiestner n. 55. non improbabiler putant, ab occulto Hæretico Irregularitatem, & Inhabilitatem istam non contrahi: ac propterea, si is, qui in Hæresim occultam incidit, respiscat, validè eidem Beneficium conferri posse, arg. c. ad abolendam 9. b. tit. ubi sermo est de Hæretico publico. Rationem dant, quia non propter Hæresim solam, sed quatenus annexam habet Juris infamiam, Irregularitas in Hæreticos decreta est. atqui Infamia Juris non habet locum in Hæretico occulto. ergo &c. Contrariam sententiam probabiliorum, & Juri conformiorem putant Sylv. V.

crimen q. 2. n. 3. Azor p. 1. l. 8. c. 11. q. 3. & c. 21. q. 8. Sanch. l. 2. mor. c. 25. n. 2. Farin. q. 192. n. 68. Zoesl. hic n. 4. Reiffenstuel n. 255. ibid. tum quia Jura universaliter loquuntur; tum quia Clemens VII. Inquisitoribus concedit facultatem dispensandi in Irregularitate ob Hæresin occultam.

Quidquid sit, licet Irregularitas contrahatur ex delicto Hæresis occulto, satis tamen communis sententia est eorum, qui cum Sanch. l. 2. mor. c. 25. n. 16. Farin. prax. q. 192. n. 79. Palao tr. 4. D. 4. p. 4. n. 3. docent, in hac Irregularitate virtute Trid. dispensare posse Episcopum; quia Concilium non limitavit in Irregularitatibus potestatem, sed absolutè dixit, in omnibus, quæ oriuntur ex delicto occulto, licere Episcopis dispensare, & unicam duntaxat exceptit, quæ ex Homicidio voluntario nascitur; exceptio autem firmat Regulam in casibus non exceptis. Neque obstat, quòd per Bullam Cœnæ, ut infra n. 197. dicitur, Episcopis sit adempta potestas absolvendi ab Hæresi occulta, quæ antea virtute Trid. ipsis competebat; Quia potestas absolvendi, & potestas dispensandi sunt omnino diversæ, & à diversis non fit illatio, præsertim si unum sit majus altero, sicut potestas absolvendi est major potestate dispensandi.

Aliud est in Irregularitate, contracta ob Hæresim notoriam; nam in hac, ut Clericus in eam lapsus ascendere ad superiores Ordines, & Laicus ad istos promoveri possit, dispensare solus Pontifex potest. Navar. Man. c. 27. n. 205. Sanch. c. 25. cit. n. 13. Pirhing hic num. 47. Ut verò ministrare possit in Ordinibus jam antè susceptis, dispensare potest etiam Episcopus, ut notat Sanch. l. cit. ex ratione; quia SS. Canones can. convenientibus 4. & can. saluberrimum 21. caus. 1. q. 7. item can. nos consuetudinem 8. dist. 12. permittunt, ut Hæreticus conversus ex dispensatione in Ordinibus, ante Hæresin susceptis, ministret. at Canon dispensationem permittens eo ipso censetur illam concedere Episcopo. Sanch. n. 14. Excipiuntur Episcopi, & Sacerdotes lapsi in Hæresin; nam cum his, ut celebrare Missam &c. possint, dispensat solus Papa. Sanch. l. cit.

In Germania, & alijs Provincijs Septentrionalibus Episcopi ex Hæresi ad Fidem Catholicam conversos, & ab ea absolutos, si cetera digni sint, ordinare solent absque alia dispensatione; quia tales neque in foro Civili à publicis Dignitatibus, & Officijs excluduntur. Navar. l. 1. conf. 1. q. 14. n. 4. tit. 2. Laym. l. 1. p. 5. c. 4. fin. Pirhing hic n. 47. v. illud.

Quæritur 7. an Beneficia antè obtenta ob Hæresim amittantur ipso Jure? Negant Castro l. 2. de just. Heret. punit. c. 4. Gomez Regul. de annal. possess. q. 52. Vasq. 1. 2. D. 172. c. 2. n. 11. & alij apud Palao tr. 4. D. 4. p. 5. n. 3. ex ratione; quia quando dubium

est, an poena aliqua sit Jure lata, an sententia ferenda, preferenda est interpretatio benignior, seu illa, quae dicit poenam esse ferendam sententia arg. Reg. in poenis 49. in 6. atqui verba c. ad abolendam 9. b. tit. & c. ut commissi 12. eod. in 6. sunt dubia, & intelligi possunt de privatione, per sententiam condemnatoriam inducenda. ergo &c.

110 Sed dicendum, Hæreticos Beneficijs antè obtentis ipso Jure privatos esse. Ita Covar. l. 2. var. c. 8. n. 4. Gonz. Reg. 8. Gloss. 15. n. 65. Flamin. l. 3. de Resign. q. 1. n. 31. Garc. p. 11. de Benef. c. 10. n. 66. Menoch. de arbitr. cas. 410. n. 61. Sanch. l. 2. mor. c. 26. n. 6. Suar. D. 21. de Fid. sect. 5. n. 17. Farin. prax. q. 189. n. 77. Palao tr. 4. D. 4. p. 5. n. 4. Fagnan. in c. fin. h. tit. n. 21. Barbof. in c. 9. eod. n. 6. Pirhing. hic n. 50. König n. 18. Wiestner n. 58. additque Barbof. l. cit. hanc Sententiam adedò receptam esse, ut videatur ab omnium sententia discedere velle, qui illam impugnare audeat.

111 Sumitur 1. ex c. ad abolendam cit. ubi Pontifex utitur verbo *Spoliatus*, quod significat executionem sententia privationis à Jure lata. 2. Ex Const. 2. Nicolai II. incipit *Novit universitas*, & habetur in Bullar. tom. 1. pag. 124. ubi sic legitur: *Hæretici autem, & receptores, defensores, fautores eorum, ipsorumque filij usque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu Officium admittantur: quousi secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane; nos enim predictos NB. ex nunc privamus Beneficijs acquisitis, volentes, ut tales & habitis perpetuo careant, & ad similia nequaquam unquam admittantur.* 3. Ex praxi, & stylo Curia Apostolica, quo Beneficia Hæreticorum pro vacantibus habentur ab ipso lapsu eorum in Hæresim, ita, ut à quovis impetrari valeant, & à criminosis resignari amplius nequeant.

112 Ut tamen Hæreticus factò ipso Beneficium, à se antè obtentum, teneatur dimittere, requiritur Sententia Declaratoria criminis; nam ante illam non tenetur Hæreticus se Beneficijs suis spoliare, ut rectè advertit Azor p. 1. l. 5. c. 8. q. 3. Sanch. c. 26. cit. n. 7. Suar. sect. 5. fin. Farin. n. 80. Palao n. 5. Fagnan. in c. ad abolendam cit. n. 41. & 42. Barbof. ibid. n. 8. Pirhing. hic n. 50. Reiffenstuel. ibid. n. 265. quò facit Regula generalis, quòd in omni casu, in quo poena ipso Jure incurritur, sententia delicti declaratoria requiritur. Imò non solum requiritur sententia declaratoria criminis, sed etiam executio facta per Judicem. Azor l. cit. q. 4. Sanch. n. 8. Farin. n. 79. Palao n. 5. nisi Judex in sententia præcipiat, ut condemnatus statim dimittat Beneficium. Porro sententia hæc declaratoria retrahitur ad tempus commissi delicti, ita, ut restituendi veniant non tan-

tum fructus percepti à tempore hujus sententia lata, sed etiam illi, quos Hæreticus percepit à tempore commissi delicti. Sanch. n. 10.

Quodsi tamen Hæreticus continuò ac spontè ad unitatem Fidei Catholicae redeat, antequam de Hæresi convictus fuit, & tanquam Hæreticus declaratus, ratio equitatis suadet, ut ex dispensatione Papæ in Beneficio relinquatur, vel amissum restituatur. Rebuff. prax. Benef. p. 3. tit. de mod. amitt. Benef. num. 5. Sanch. c. 26. n. 13. Farin. q. 189. n. 82. & 84. Barbof. in c. 9. cit. n. 9. Pirhing. hic n. 50.

Porro suspecti, & diffamati solum de Hæresi non privantur ipso Jure Beneficijs obtentis, sed juxta criminis qualitatem illis per sententiam sunt privandi. Sanch. n. 14. Farin. n. 86. Pirh. n. 50. cit.

Ad Argumentum Sententia adversè dico, dubietatem textuum sufficienter explicari per Curia Romanae praxim, & consuetudinem, quæ optima est Legum interpretres. Neque obstat, quòd c. ut commissi cit. Hæretici ob crimen Hæresis dicantur Beneficijs Ecclesiasticis privandi, vel privati nuntiandi; nam verba ista non vim disjunctionis habent, sed posteriora sunt declaratoria priorum, ita, ut sensus sit, poenam privationis Beneficiorum prius obtentorum incurri quidem factò ipso, sed ut cogatur illa Hæreticus dimittere, opus est sententiâ declaratoriâ criminis, prout dictum est.

Quæritur 8. an Irregularitatem istam, & Inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda, & retinenda incurrant etiam Filij, & Nepotes Hæreticorum? & distinguendo: Vel enim nati sunt, antequam parentes ipsorum laberentur in Hæresim, vel postquam lapsi in eam sunt. Si primum, per lapsum parentum, nisi & ipsi consentiant, non sunt Irregulares, neque Beneficia legitime obtenta amittunt. Abb. in c. 10. h. tit. n. 4. Clar. §. Hæresis n. 17. Azor p. 1. l. 8. c. 13. poen. 8. §. si rogis, Sanch. l. 2. mor. c. 28. num. 28. & 30. Farin. prax. q. 191. n. 58. Palao tr. 4. D. 5. p. 2. n. 9. Pirhing. hic n. 101. & 106. Wiestner. ibid. n. 59. Ratio præcipua est, quia nullibi invenitur cauta talis privatio, ergo asserenda non est; quia poenæ, præcipue respectu innocentium extendenda non sunt.

Si secundum, interest, an Hæresis parentum occulta sit, an verò notoria. Si occulta est, Irregularitas hac non afficiuntur; quia, ut dictum est n. 105. probabiliter eam etiam non afficiuntur parentes ipsorum: vel si afficiuntur, ab Episcopo dispensari cum ijs potest, sicut dispensari ab isto potest cum parentibus Hæresis occultæ reis, juxta n. 106. Sinotoria est, inhabiles ad Beneficia deinceps obtinenda sunt tam filij ipsorum, quam nepotes, sed in his tantum illi, qui ab ipsis descendunt per lineam paternam c. statutum 15. b. tit. n. 6. D.

117 Discrimen tamen faciendum est ali-
quod inter Irregularitatem parentum Hæreti-
corum, & Irregularitatem filiorum, ac ne-
potum Catholicorum, nam parentibus qui-
dem Irregularitas hæc non remittitur, quan-
do absolvuntur ab Hæresi, sed debent ne-
cessariò dispensari: *Contra Irregularitas filio-
rum cessat ipsa reconciliatione impetrata pa-
rentibus.* Molin. *tr. 2. de l. § 1. D. 658. n. 19. § filij*, Sanch. *l. 2. mor. c. 27. n. 21.*
Schambog. *bic n. 46.* König *n. 17.* Wiest-
ner *n. 59.* Reiffenstuel *n. 270. § 271.*

118 Aliud dicendum de Filijs, & Nepoti-
bus Hæreticorum relapforum; nam quam-
vis hi, si poenitentes, & conversi sint, ad
Sacramenta Ecclesiæ admittantur, tamen
eorum filij adhuc remanent privati Benefi-
cij, & inhabiles ad alia obtinenda; quia,
ut filij Hæreticorum evadant poenas privatio-
nis, & inhabilitatis ad Beneficia, in *c. statutum*
15. §. hoc sane b. tit. in 6. duo requiruntur,
scilicet ut parentes eorum sint emendati,
& simul etiam reconciliati Ecclesiæ. at verò
relapsi, quamvis per poenitentiam respiscant,
non habentur tamen pro reconciliatis, sive
incorporatis; quia sine audientia traduntur
Curie Sæculari puniendi *c. super eo 4. b. tit. in 6.*
Et hæc sententia videtur probabilior,
quam etiam tenet Gloss. in *c. statutum cit. V.*
incorporatos, Anchar. *ibid. not. 3.* Franc. *n. 4.*
fin. Sanch. *n. 23.* Farin. *n. 65.* Zoes. *n. 12. bic*,
Pirhing *n. 105. §. aliud*, Schambog. *n. 47.*
Reiffenstuel *n. 272.* quamvis alij contrarium
sentiant, ut videre est apud Sanch. *n. 22.*

Quæritur 9. an Hæreticorum filij,¹¹⁹
& nepotes Irregulares, & propterea ad Be-
neficia Ecclesiastica obtinenda inhabiles sint
etiam in Germania? Affirmativa vide-
tur colligi ex praxi Curie Apostolicæ quæ
hujusmodi filios, & nepotes, undecunque
orti sint, ad Beneficia non admittit, nisi præ-
via Dispensatione in Irregularitate, parentum
Hæresi contracta.

Sed retinenda est Sententia negativa,¹²⁰
Ita Sæ V. *Hæresis n. 4.* Henriq. *l. 14. c. 5. n. 4.*
Sanch. l. 2. mor. c. 27. n. 28. fin. Bonacin.
D. 7. de Irregul. q. 3. p. 7. n. 9. Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 12. fin.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 19. §. 2. n. 7.* Gibalin. *c. 5. de Irregular. n. 13.* Pirhing *bic n. 101. fin.* Engl. *n. 14.* König *n. 7.* Schambog. *n. 48.* Wiestner *n. 61.* & hoc teste plerique Germaniæ no-
stræ DD. Ratio est, quia Irregularitatis
istius radix, & causa est infamia, quam ob
parentum Hæresin etiam incurrunt filij, ac
nepotes eorum, atque in Germania, & alijs
Septentrionalibus Provincijs parentes illorum
nullam incurrunt aut Juris, aut facti infamiam,
tum propter pacta, & fœdera cum
ipsis inita, tum quia innumerabiles ex illis
sunt tantum materiales Hæretici.

Ad Argumentum contrarium dico,¹²¹
ex praxi Curie Apostolicæ dispensationem
præmitti ex causa, quòd pacta publica,
quæ cum Hæreticis in Germania inita
sunt, Apostolica Sedes nondum appro-
baverit.

§. IV.

De Pœnis Hæreticorum Temporalibus.

S U M M A R I U M.

123. Hæretici incurrunt Infamiam.
124. Et quidem ipso Jure.
125. &c. Non tamen eâ notantur ipsorum filij,
& nepotes.
128. Fiunt intestabiles tam activè, quàm
passivè.
129. &c. De quibus bonis?
132. &c. An successione priventur tanquam inca-
paces, an tanquam indigni?
135. Confiſcantur ipsorum bona.
136. Quenam?
137. An etiam Jus Patronatûs?
138. Majoratûs, aut Fideicommissi?
139. Emphyteusis, & Feudi?
140. 141. Quale peculium filij, comprehendatur
sub confiscatione facta ob Hæresin?
142. &c. An ob Hæresin mariti confiscetur etiam
Dôs, & bona Uxoris?
146. Aut vicissim bona mariti ob Hæresin Uxo-
ris?
147. &c. Cui applicari debeant bona tum Cle-
ricorum, tum Laicorum confiscata ob Hæ-
resim?
151. &c. An Hæreticus bona confiscata tradere
sisco teneatur ante sententiam Declarato-
riam criminis?
154. &c. Si in Hæresim lapsus Liberos ha-
beat, amittit in hos patriam potestatem.
156. &c. Servi ab obsequio domini Hæretici
liberi sunt.
160. &c. An Hæresis etiam liberet à fide ser-
vanda Hæretico?
163. Si pœnis istis insuper habuis, non re-
spiscant, traduntur Curie Sæculari.
164. &c. A qua puniri possunt pœna capi-
tali.
171. &c. Num pœna temporales hætenus re-
late afficiant etiam Hæreticos in Germa-
nia?

123 Poenæ Temporales, quæ in Hæreticos, horumque credentes, receptatores, defensores, fautores tum Jure Canonico, tum per Leges Civiles lætæ sunt, etiam ipsæ complures sunt. Et quidem

Incurrunt Infamiam *can. infames 17. caus. 6. q. 1. c. excommunicamus 13. §. credentes 5. b. tit. Auth. Gazaros c. eod. & alijs pluribus apud Tholos. Synt. Jur. l. 33. c. 8. n. 3. fin. Farin. prax. crim. q. 129. n. 40. & alios.* Et hinc 1. repelluntur ab honoribus, & dignitatibus *l. quæ de Samaritis 18. C. h. tit. ibi, Neque ulla dignitate decorantur.* 2. Non possunt exercere aliqua Officia publica *l. cit. ibi, Neque publicam adipiscuntur curam.* 3. Privantur omnibus privilegijs, quibus fruebantur, quando erant Catholici *l. privilegia 1. C. eod.* 4. Censentur privati omni actu legitimo, ut decrevit *Leo X. Const. incipit Exurge 7. nec non ad omnes editâ 1520.*

124 Dub. 1. utrum poena hæc Infamiae incurratur ipso Jure? *Incurre ipso Jure; ut tamen afficiat actu ipso delinquentes, opus esse sententiâ declaratoriâ criminis. Ita Azor p. 1. l. 8. c. 13. q. 8. 7. septima. Sanch. l. 2. mor. c. 26. num. 1. Laym. l. 2. tr. 1. c. 16. n. 4. 7. tertia poena, Barbof. in c. 13. b. tit. n. 24. Pirhing hic n. 52. Schambog. n. 32. König n. 21. Wiestner n. 63. & hoc teste communiter DD. Ex quo sequitur, infamiam Juris ab Hæretico non contrahi perfectè ipso in Hæresin externam lapsu; sed si quidem lapsus iste notorius sit notorietate Juris, contrahetur infamia facti, Juris verò tantum, quando per sententiam omnibus innotescit. Palao tr. 4. D. 4. p. 4. n. 4. inter quas Infamiae species hoc discrimen est, quòd Infamia quidem facti tollatur per poenitentiam, & emendationem; Juris verò solum per sententiam, sicut per sententiam inducta est.*

125 Dub. 2. an eadem Infamiâ notentur etiam filij, ac nepotes descendentes ab Hæreticis, & horum fautoribus? Affirmant Covarr. l. 2. var. c. 8. n. 1. 7. tertiò, Castro de Punit. Heret. l. 2. c. 9. Pegna Direct. Inquis. p. 1. comment. 4. 7. hæc autem infamia, Molin. tr. 2. de I. C. I. D. 658. n. 25. Farin. prax. crim. q. 191. n. 23. Reiffenstuel hic n. 336. neque negari potest teste Palao *l. cit.* communem esse sententiam, quæ dicit, ita infames esse Nepotes per paternam, & filios per maternam lineam ab Hæreticis descendentes. *Fundantur 1. quia Infamiam contrahunt filij reorum lætæ Majestatis humanæ l. quisquis 5. §. filij 1. C. ad Leg. Jul. Majest. atqui ab istis ad reos lætæ Majestatis Divinæ legitime ducitur argumentum, ut Salicet. in Auth. Gazaros cit. fin. Igneus in l. necessariò 5. §. 2. ff. ad S. C. Syllan. num. 44. Decian. tr. crim. l. 5. c. 26. num. 7. monent ergo &c.* 2. Horum filij, nepotes contrahunt Irregularita-

tem, & inhabilitatem ad Beneficia obtinenda, secundum dicta n. 116. hæc autem non videtur aliunde, quam ex infamia eorum provenire, ergo &c. 3. Quòd Hæreticorum filij infames sint, aperitè colligitur ex *Const. Pont. Innoc. IV. Alex. IV. Clem. IV. Honor. IV. incipientibus Ad extirpanda* quibus excluduntur à publicis Officijs.

Sed tenenda est Sententia negativa, quam etiam defendunt Menoch. vol. 9. conf. 808. n. 44. Sanch. l. 2. mor. c. 28. n. 5. Suar. D. 48. de Censur. sect. 3. n. 2. & D. 24. de Fid. sect. ult. num. 7. Palao tr. 4. D. 5. p. 2. n. 10. Pirhing hic num. 107. Schambog. n. 49. König n. 21. fin. Wiestner num. 64. Vincent. Petra tom. 3. comment. fol. 160. num. 46. Ratio est, quia Infamia filijs, & nepotibus Hæreticorum nullo Juris textu imposta est. *Conf. si infamiam contraherent, removerentur, etiam à testimonio dicendo, ab hoc non removentur, ut ex praxi constat. ergo &c.*

Neque contrarium probent Argumenta allata pro opposito. *Ad 1. Argumento ducto à Liberis reorum lætæ Majestatis humanæ locus est in ijs duntaxat, in quibus æquiparatio expressa est Jure, non verò in illis, in quibus ea fundatur tantum in similitudine rationis; nam ex hac sola Lex poenalis extendi non debet Reg. odia 15. in 6. Ad 2. Irregularitas hæc in filijs, & nepotibus oriri ex delicto, & infamia parentum potest, quin ipsi filij, & nepotes infames fiant; patet ex Liberis ortis ex copula fornicaria. Ad 3. etiam illegitimi, quamdiu tales sunt, excluduntur ab Officijs publicis, & Dignitatibus.*

II. Fiunt intestabiles tam active, quam passive, ita, ut neque Testamentum condere, neque succedere ex Testamento, vel ab intestato possint. *Primum constat ex c. Excommunicamus 13. §. credentes b. tit. ibi, Sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem: qui textus, etsi de fautore Hæreticorum loquatur, à fortiori de ipso Hæretico est intelligendus, ut bene notat Palao tr. 4. D. 5. p. 26. num. 1. Secundum patet ex c. cit. verbis immediate sequentibus, ibi, Nec ad hereditatis successionem accedat. Concordat Jus Civile l. Manicheos 4. §. ipsos 2. l. Arriani 5. 7. cunctis, & l. fin. C. h. tit. quibus textibus Hæretici incapaces redduntur non tantum successionis ab intestato, vel ex testamento, sed etiam Legati, Fideicommissi, Donationis inter vivos &c. Qui scienter Hæreticum instituit in Testamento, incurrit Excommunicationem c. siquis 5. & c. seq. b. tit. qui textus licet tantum loquantur de Episcopis, & Clericis, communiter tamen dispositio eorum extenditur etiam ad fideles quoscunque, qui scienter instituunt Hæreticos, etiam si Laici fuerint. Farin. prax. crim. q. 190. num. 111. Excipitur, nisi hoc fiat*

fiat causâ pietatis, & ad eorum necessitatem sublevandam, ne fame pereant; quia adhuc ad Fidem converti possunt. Gloss. in c. 6. h. tit. V. nihil conferant. imò etiam in Testamento necessaria alimenta legari possunt. Sanch. l. 2. mor. c. 14. n. 41.

120 Dub. 1. de quibus bonis Hæreticus testari non possit? 2. distinguendo inter bona, quæ acquisivit post sententiam declaratoriam criminis, & inter illa, quæ habuit ante eam sententiam. De prioribus testari liberè potest, quia bona illa sub confiscationem non veniunt, & Jus Canonicum prohibens Hæreticos testari intelligendum est de bonis publicatis ob Hæresin. *Proceditque hoc non tantum de illis bonis, quæ acquisivit Hæreticus, postquam delicti poenitens abjuravit Hæresin, & Ecclesiæ reconciliatus est; sed etiam de ijs, quæ acquisivit post sententiam ante abjurationem; quia confiscatio non extenditur ab bona futura, & post sententiam acquisita.* Palao tr. 4. D. 5. p. 26. n. 1. contra Farin. prax. q. 190. n. 93.

130 De posterioribus Hæreticus testari nequit, postquam sententia declaratoria criminis in ipsum lata est, utpote postquam illa non amplius delinquentis, sed fisci sunt. An verò, si ante sententiam declaratoriam criminis testatus de illis est, Testamentum hoc ipso Jure nullum, an verò revocationi duntaxat obnoxium, dubiæ questionis est. Communis negatur esse ipso Jure nullum, quamvis revocationi obnoxium sit. Ita Molin. tr. 2. de J. & J. D. 95. n. 24. Sanch. l. 2. mor. c. 24. n. 3. Vafq. l. 2. D. 171. c. 1. n. 11. Farin. q. 190. n. 89. fin. Palao p. 26. cit. n. 1. Pirhing hic n. 74. Wiestner ibid. n. 65. quod satis indicatur in c. excommunicamus 13. §. credentes h. tit. ibi. *Nec testandi liberam habeat facultatem, quasi diceret, Habet quidem facultatem testandi, sed non liberam; aliàs diceret: Nec testandi ullam habeat facultatem.*

131 Ratio est, quia secundum probabiliorum Sententiam, de quo infra n. 152. hæreticus non privatur dominio utili suorum bonorum, & potestate illa in alios transferendi, quousque Sententia criminis declaratoria lata in ipsum sit. ergo ex vi hujus dominij, & potestatis, sicut potest sua bona quolibet contractu validè, quamvis revocabiliter, alienare, ita etiam poterit Testamento.

Ex quo sequitur, eos, qui capiunt ex tali Testamento, non teneri hæredibus venientibus ab intestato ante sententiam declaratoriam restituere, quod acceperunt; quamvis teneantur post sententiam, utpote quæ retrahitur ad tempus commissi delicti. Wiestner l. cit.

132 Dub. 2. an Hæreticus ita privetur successione ex Testamento tempore Hæresis, ut illius sit incapax, vel solum sit indignus? Multum interest, quo modo ex his duobus privetur Hæreditate; nam si privatur R. P. Schmalzgrueber L. V. T. l.

ut incapax successione, omnia, quæ illi deferuntur, aut relinquuntur, non fisco, sed venientibus ab intestato proveniunt; contra si capax quidem Hæreditatis per se est, sed ab ea repellitur tanquam indignus; tunc enim ipsi relicta fisco, non venientibus ab intestato applicantur, ut dictum est Libr. 3. Tit. 26. num. 90. & seqq. Sanch. l. 2. mor. c. 14. n. 31. putat, Jure communi spectato, probabilius solum esse indignum, ex ratione, quia nullo textu Juris communis hæc incapax statuta est.

Sed communis sententia, teste Palao¹³³ tr. 4. D. 5. p. 26. n. 4. defendit, Hæreticum, durante Hæresi incapacem Successione esse: sumitur ex c. excommunicamus §. credentes cit. ubi aperte dicitur, *Neque ad Hæreditatis successione accedat.* Neque obitat, quod textus iste tantum loquatur de fautore Hæreticorum, qui Excommunicatione notatus, contemnit intra annum satisfacere; nam si iste, qui fictione Juris solum ob causam allatam Hæreticus esse censetur, incapax successione Hæreditariæ redditur, multo magis incapax reddetur, qui verè, & propriè Hæreticus est.

Ex quo sequitur, post sententiam saltem ab Hæretico Hæreditatem, quam Hæresi durante, obtinuit, restituendam Hæredibus ab intestato venientibus; quia his acquiritur. Palao n. 5. *Addidi post sententiam saltem;* nam, an ob Hæresin Hæreticus ita incapax fiat successione durante Hæresi, ut etiam ante sententiam, & in foro conscientie, quæ acceptit, teneatur ipsis restituere, controversia inter DD. est. Vafq. Opusc. mor. c. 9. §. 4. dub. 2. n. 122. Farin. q. 190. n. 102. §. 104. & alij apud Sanch. c. 14. num. 31. cit. hoc affirmant; quia ipse Hæreticus non habet titulum ad retinendum. Negant Less. l. 2. de l. §. I c. 19. n. 52. Sanch. n. 31. cit. Pirhing n. 75. Schambog. num. 39. juxta quos retinere Hæreticus res Hæreditarias sibi relictas tamdiu potest, donec per sententiam declaratoriam criminis ex ipsi auferantur. *Rationem dant, quia valde durum esset, ut teneantur delinquentes Hæreditatem sibi delatam, vel Legatum spontè restituere ante præceptum Judicis.*

III. Confiscantur ipsorum bona c. 135 vergentis 10. c. excommunicamus 13. §. damnati, & §. credentes, h. tit. Manichæos 4. & Auth. Gazaros C. eod. ubi ratio redditur, quod longè gravius sit æternam, quam temporalem offendere Majestatem. sed læsioni temporalis Majestatis annexa est pœna confiscationis bonorum, l. quisquis 5. pr. C. ad Leg. Jul. Majest. ergo &c. *Proceditque hoc, ut nec Catholicis eorum filijs aliquid relinquendum sit c. vergentis cit. & ibi Gloss. V. exhereditatio, Fagnan. ibid. n. 1. §. 16. Farin. prax. q. 191. à n. 1. Zœf. hic n. 14. Pirhing n. 57. not. 6. Schambog. n. 44.*

Procedit hoc stricto Jure Spectato; nam ex miseratione ejusmodi bona Liberis Catholicis relinquere possunt, scilicet benignitatem rigori Juris præferendo *c. vergentis cit.* Et hoc sensu aliqui exaudiunt *l. Manicheos 4. §. sed nec 6. l. Hæretici 13. §. Orthodoxi 1. l. que de Samaritis 18. pr. §. si alter 1. l. cognovimus 19. pr. & Auth. idem est C. b. tit.* quæ Liberos Orthodoxos fisco præferunt. Imò ex eadem misericordia ipsi Hæretico, si ad cor redeat, & errores suos relinquat, bona confiscata condonari possunt, ut habetur *c. vergentis cit.* & notat Gloss. *ibid. V. misereri, Abb. n. 2. not. 3. Felin. n. 2. Barbof. n. 24. & alij apud ipsum.* Et ita condonari bona confiscata Hæretico ad cor revertenti, consuetudine totius Italiæ receptum esse, scribunt Clar. §. *Hæresis n. 7. Decian. tr. crim. l. 5. tit. 44. n. 19. Barbof. l. cit.*

436 Dub. 1. quænam bona cadant sub confiscationem ob Hæresim? *¶* regula est ab omnibus DD. recepta, omnia bonatam mobilia, quàm immobilia, Jura, & actiones, quæ Hæretici propria erant, cum delictum commisit, ipso Jure confiscari; nam Jura generaliter Confiscationem bonorum decernunt in Hæreticos. Dixi, quæ Hæretici propria erant; nam bona, quæ sunt alterius, etiam in potestate Hæretici reperiantur, in poenam confiscationis non deveniunt, ut bene notat Palao *tr. 4. D. 4. p. 2. n. 2.* quia æquum non est, innocentem alterius delicto prægravari. Addidi, cum delictum commisit; nam bona, quæ Hæreticus acquisivit post sententiam declaratoriam criminis, sub confiscationem non veniunt, ut dictum est *suprà num. 129.* Similiter ab ea forte excepta sunt bona, quæ, dum commisit delictum, non amplius fuerunt ipsius propria, eo quod illa alienaverit donatione simplici, aut contractu Palao *n. 3.* Excipitur, nisi alienatio hæc facta esset in fraudem fisci: quia tunc nulla est donatio, aut venditio, sed omnino revocatur à fisco, ut ex omnium sententia testatur Farin. *prax. crim. q. 164. n. 48. §. 50.* Præsumitur autem in fraudem fisci facta alienatio. 1. Si facta est donatio, vel venditio personæ conjunctæ jure sanguinis, vel amicitiae, à qua donans, aut vendens facillè donatum, aut venditum recuperare possit, Farin. *q. 164. n. 126.* 2. Si facta alienatione statim committatur delictum, nisi appareat necessitas alienandi, Farin. *n. 154.* 3. Si donata, aut vendita sint bona delinquentis omnia, vel major eorum pars, vel minor quidem, sed pretiosior, nisi intervenerit justum pretium, Farin. *n. 121.*

137 Dub. 2. an publicatis bonis Hæretici, etiam publicetur Jus Patronatus, Majoratus, Fideicommissum, Emphyteusis, Feudum? *¶* ad 1. distinguendo: Vel enim accessorie venit ad Castellum, aut Villam, cui annexum

est, vel contra ratione solius personæ competit. Si primum, Jus Patronatus cum Castro, aut re directe confiscabili, cui adheret, etiam ipsum publicatum consebitur, transibitque cum illa ad fiscum; quia transit ad quemcunque legitimum rei illius possessorem, Palao *tr. 4. D. 5. p. 5. n. 9.* & hoc teste DD. omnes. Si secundum, interest, an transitorium Jus istud sit ad alios, vel non. Si hoc posterius, proprie non confiscatur, sed confiscatis Hæretici bonis, extinguitur, & Ecclesia sit libera, Palao *n. 1.* nisi alij præter delinquentem compatroni sint; tunc enim penes istos remanet. Si prius, transit ad istos, qui dispositione influentis vocantur, ne delicto alterius prægraventur, Farin. *q. 190. n. 24.* non verò ad Hæredes extraneos, sed eo casu Jus istud sibi vindicant Fiscus Ecclesiasticus, bonis Hæretici publicatis, Sanch. *l. 2. mor. c. 19. n. 3.*

Ad 2. iterum distinguendum est, an Hæreticus effectus sit is, qui Majoratum, aut Fideicommissum instituit, an verò ille, qui is fruitur. Si primum, interest, an institutio facta sit ante, vel post commissum delictum; nam si post delictum de bonis, quæ tempore delicti delinquentis fuerunt, facta illa fuit, ea confiscationem non impedit; quia facta est de bonis fisco obligatis, ac proinde, facta declaratione delicti, perit institutio, & confiscatur in perpetuum majoratus, Sanch. *l. 2. mor. c. 18. n. 60.* Palao *p. 7. n. 4.* Si verò institutio sit facta ante delictum, non subijcitur confiscationi, saltem si facta sit per contractum irrevocabilem; quia jus, ad majoratum, aut fideicommissum vocatis quaesitum, per influentis delictum auferri nequit, Molin. *tr. 2. de J. §. 7. D. 659. n. 10.* Palao *p. 7. cit. n. 7.* Si secundum contingat, & in Hæresim incidit is, qui Majoratum, vel Fideicommissum fruitur, interest, an ad ipsum tempore condemnationis jam delata fuerit successio in Majoratum, aut Fideicommissum, an verò nondum delata ad ipsum sit; nam si hoc posterius, nec dominium, nec usus fructus transferretur ad fiscum, cum delinquens nondum sibi comparaverit illius dominium. Si prius, fiscus quidem commoditatibus, & fructibus confurgentibus ex eo Majoratum, gaudebit omnibus, dum possessor ille vivit; post mortem verò illius bona cum fructibus transferentur ad Successorem, qui ex voluntate primi Institutoris ad hæc vocatur. Excipit Sanch. *l. 2. mor. c. 18. n. 15.* nisi iste alienationem expressè prohibuisset; tunc enim statim ea bona cum fructibus pertinerent ad sequentem vocatum. Rationem dat, quia fructuum commoditas in hac specie non est separata à rerum dominio, sed cum eo est annexa, & conjuncta *l. §. ex diverso 35. S. ubi autem 1. ff. de R. V.* quare sicut rerum illarum dominium nequit ad fiscum transire ob vim expressæ prohibitionis

tionis, ita nec perceptio fructuum. Plura videri possunt apud Sanch. c. 18. cit. Molin. tr. 2. D. 658. Palao D. 5. cit. p. 6. & alios.

139 Ad 3. distinguendum est inter Emphyteusim, quæ ex vi institutionis suæ ad Hæredes extraneos transmitti non potest, & inter eam, quæ ad hos transitoria est, Prior sub confiscationem non venit, sed post declarationem criminis ad proximè vocatum transibit statim quidem, quando ultra prohibitionem Legis, quàm secum trahit Emphyteusis, addita fuit expressa alienationis prohibitio à domino Emphyteusim concedente: post mortem verò delinquentis primùm, quando non est expressa ab institutore alienationis prohibitio, sed relicta Emphyteusis naturæ suæ; nam, ut *suprà* dictum de Majoratu, & Fideicommissio, quoad fructus, & commoditates, quamdiu delinquens vivit, ad fiscum pertinet, Palao p. 8. n. 4. & seqq.

Posterior, seu ad Hæredes extraneos transitoria Emphyteusis, per hoc, quod publicata sint bona delinquentis, etiam ipsa censetur publicata, & sic fiscus erit deinceps Emphyteuta habentis dominium directum; quia quæ ad Hæredes extraneos devenire possunt, non existente alia prohibitione speciali, possunt quoque ad fiscum devenire, Sanch. c. 19. n. 25.

Et hoc probabilius verum est etiam de Emphyteusi Ecclesiastica: quo casu tamen Ecclesiæ datur optio, ut intra biennium deliberet, an velit Emphyteusim revocare, an fiscum perpetuò habere Emphyteutam. Sanch. n. 31. Porro, quæ de Emphyteusi dicta sunt, ad Feudum accommodari etiam debent; quia naturam Emphyteusis imitatur, Palao p. 9. n. 1.

140 Dub. 3. an, & quale peculium filijfam. comprehendatur sub confiscatione facta ob Hæresim? *xy.* distinguendo: Vel enim filiusf. commisit Hæresim, & propterea confiscantur bona ipsius; vel contra eam commisit Pater, & propter hoc confiscanda veniunt bona patris.

si primum, & solus filiusf. commisit Hæresim, *Profectitium* quidem hujus peculium sub confiscationem venit, sed totum cedit Patri, Palao tr. 4. D. 5. p. 10. n. 6. & seqq. & ratio est manifesta; nam bona, quæ sub nomine Peculij, profectitij veniunt, non sunt filij, sed patris, tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum, ergo ob delictum filij publicari non possunt: quod verum est, etiam si à patre filius haberet illorum administrationem; quia non per hoc censetur data potestas alienandi.

Imò esto, filio à patre etiam fuisset data potestas donandi, & dissipandi, adhuc tamen non intelligeretur data facultas, ut per delictum alienare possit; quia non præsumitur de delicto fuisse cogitatum. Sanch. l. 2. mor. c. 15. n. 18. Venit verò sub confiscationem ob causam Hæresis Pe-

B. P. Schmalzgrueber L. V. T. 1.

culium istius *Adventitium & Castrense*, vel quasi *Castrense*, servato tamen patri Usufructu in peculio *Adventitio*, si illum in eo (prout in *Adventitio Regulari* contingit) pater antecesserit habuit, Palao l. cit. n. 7. & seqq. & demonstratur ex ratione opposita; nam etiam filios imponitur poena confiscationis bonorum suorum, atqui Peculium *adventitium Castrense*, & quasi *Castrense* verè sunt in bonis ejusdem quippe quorum proprietatem, & posterioris etiam administrationem liberam independentem à patre habet, ergo &c.

Si secundum, & solus Pater commisit

Hæresim, bona *Castrensia*, vel quasi *Castrensia* filijf. ob delictum patris nullo modo publicantur; quia hæc tam quoad proprietatem, quàm quoad Usufructum, & Administrationem sunt filij, igitur ob patris delictum publicari nequeunt. Sanch. l. 2. mor. c. 16. n. 1. Farin. prax. q. 190. n. 17. Palao D. 5. cit. p. 11. n. 2.

Similiter etiam non publicantur bona ipsius *Adventitia*, neque quoad proprietatem, nec quoad usumfructum: quoad proprietatem quidem; quia quoad hanc sunt bona propria filij, qui delicto patris prægravari non debet: quoad usumfructum autem; quia usufructus in bonis *Adventitijs* filij debetur patri ob patriam potestatem, quæ, ut *infra* n. 154. dicitur, per crimen Hæresis facto ipso solvitur, conf. à puncto latæ in patrem sententiæ declaratoriæ criminis Usufructus extinguetur, & consolidabitur cum proprietate, quam filius in Peculio isto habet, Farin. n. 27. Palao n. 11. Solum igitur publicabitur peculium *Profectitium*, & meritò; nam etsi filiusfam. hujus administrationem habeat, eam tamen duntaxat habet dependentem à possessione patris, quæ à puncto sententiæ declaratoriæ criminis in patrem latæ eidem tollitur: unde cum regula sit, quod Hæretico confiscantur bona propria omnia, consensaneum est, etiam confiscari Peculium profectitium filij, quippe quod tam quoad proprietatem, quàm quoad Usufructum est tantum patris. Palao n. 15.

Dub. 4. an propter Hæresim marito-

rum confiscantur etiam Dotes, & bona uxorum? *xy.* negativè. Patet ex c. *decevit* 14. h. tit. in 6. Ratio est, quia universim loquendo ob maritorum culpam uxores inquietari Leges vetant, ut habetur l. ob maritorum 2. c. ne uxor pro marito. & delicta suos debent tenere Authores juxta l. sancimus 22. c. de Pæn. Neque rationi est consentaneum, ut innocens propter alterius delictum puniatur, nisi id expressum sit, sicut expressum est puniri filios ob crimen læsæ Majestatis Divinæ, vel humanæ commissum à patre. Sanch. l. 2. mor. c. 17. n. 2. Palao tr. 4. D. 5. p. 12. n. 1. Vivian. in c. 14. cit. pr. Barbof. ibid. n. 1. & seqq. Passerin. n.

1. Vallens. hic §. 2. n. 3. Pirking n. 63.

T 2

Scham,

Schambog. n. 35. Imo hæc sua bona, publicatis mariti bonis, conjux innocens, propria autoritate potest capere, & occupare l. si quis 9. pr. C. de bonis præscriptor. nam licet aliàs Jure cautum sit, neminem in re propria habere manuum injectionem l. extat 13. ff. quod met. caus. l. si quis in tantam 7. C. unde vi. hoc tamen uxori quasi in prærogativam Matrimonij conceditur, ut res proprias, detentas à viro, cujus bona publicantur, propria autoritate occupet. Sanch. n. 3. fin. Farin. q. 25. n. 119. Palao n. 4. Barbof. n. 3.

143 In specie uxori manent 1. Dos, 2. Bona ipsius Paraphernalia. 3. Donatio propter nuptias. 4. donata ipsi à consanguineis mariti, etsi hujus intuitu, nisi donans tempore donationis expresserit, ut res donatæ marito acquirantur, 5. res acquisitæ ab uxore constante Matrimonio, ut medietas bonorum. 6. quæcunque alia bona propria uxoris. Sanch. c. 17. cit. n. 3. Farin. q. 190. n. 43. & seqq. Palao n. 1. & duob. seqq. Pirhing n. 64. Estque hoc ita verum, ut ne quidem Ususfructus, qui ex dote, & bonis uxoris percipitur, publicatis mariti bonis, publicetur. Palao l. cit. n. 7. Pirhing n. 64. cit. not. 2. Neque obstat, quòd Ususfructus Dotis, constante Matrimonio, pertineat ad virum; quia pertinet ad virum ad effectum alendi uxorem: unde reddita uxori Dote, redditur illi etiam Ususfructus; quia cum proprietate consolidatur. Similiter publicatio bonorum etiam locum non habet in Donatione mortis causâ facta inter conjuges; quamvis enim ista, si alteri, quàm conjugi facta sit, morte Civili non confirmetur, sed si is, qui donavit, supplicio afficiatur, ita donata transeat ad fiscum l. si aliqui 7. ff. de mort. caus. donat. morte viri tamen Civili confirmatur donatio mortis causâ facta uxori, licet vir donans usque ad suam mortem naturalem revocare ejusmodi donationem possit l. sed si 13. §. proinde 1. ff. de Donat. int. vir. & uxor. & l. res uxoris 24. C. eod. Sanch. n. 16. Pirhing not. 3.

144 Excipitur, nisi uxor cum marito Matrimonium contraxisset, quem sciebat tempore contractus Hæreticum fuisse; tunc enim privatur Dote, ut constat ex c. decrevit 14. cit. non tamen ipso Jure, sed solum per sententiam condemnatoriam Judicis, ut notat Sanch. n. 18. Pirhing n. 65. Non verò propterea uxor privatur alijs bonis, quæ habuit tempore contracti Matrimonij, vel quæ etiam acquisivit, durante Matrimonio, ut contra Gloss. in c. cit. in cas. Franc. ibid. not. 1. Farin. q. 190. n. 49. & 50. probabilis docet Sanch. n. 22. Barbof. in c. cit. n. 3. Pirhing n. 66. Schambog. n. 36. quia c. decrevit cit. de sola Dote loquitur, & in pœnalibus non est faciendâ extensio: & si Papa voluisset omnia bona uxoris

tali casu publicari, non sola Dotalia expressisset, sicut id expressit c. cum secundum 19. b. tit. in 6. & durum est, per eandem generalem confiscationem bonorum plecti æquè uxorem Catholicam, ac ipsum Hæreticum, cum uxoris delictum multo levius sit: & nullus Juris textus est, qui eam generalem confiscationem bonorum ob tale delictum imponat. Neque obstat, quòd Dos magis privilegiata sit, quàm cætera uxoris bona; nam ex hoc non inferitur, amissa Dote, etiam hæc amitti ab uxore, si scienter nubat marito Hæretico. Pirh. n. 66. cit. Schambog. n. 37. quia hæc pœna soli Dote imposita est, fortè ob eam causam, ut quia gaudet majori privilegio, gravior etiam sit pœna: unde pœna ista extendi ad alia bona non potest.

Dixi, quem sciebat tempore contractus Hæreticum fuisse, nam si ignoravit Dos ei salva permanet. Præsumitur autem ignorasse Hæresim viri, nisi probetur scivisse: ideoque fisco probatio scientiæ ejus incumbit Gloss. fin. in c. 14. cit. Franc. ibid. n. 2. in Gloss. fin. Barbof. n. 11. Passerin. n. 5. Pro editque hoc, etiamsi postea superveniat scientia de Hæresi viri; adhuc enim Dos manet uxori, nisi superveniente scientia peccato mariti sui consentiat. Farin. q. 190. n. 52. tunc enim perinde est, ac si ab initio scivisset Hæresim mariti adeoque Dote perdet, & ea fisco applicabitur. Pirhing. n. 65. hic. Quodsi Dos uxori ab alio data sit ea conditione, ut ipsi, vel alteri tertio, soluto Matrimonio, restitueretur, fiscus quidem in casu, quo ipsa nupsit scienter Hæretico, durante eorundem Matrimonio, percipiet fructus Dotis, ipsa tamen Dos, sicut aliud quodlibet Fideicommissum, non potest publicari in perpetuum; quia id crederet in præjudicium tertij. Sanch. c. 17. cit. n. 19. Passerin. in c. 14. cit. n. 5. Pirhing n. 65. not. 5.

Porro sicut uxor innocens ob Hæresim mariti bona sua non perdit, ita neque maritus innocens ob Hæresim uxoris suæ. Estque hoc verum, etsi scienter Matrimonium contraxerit cum Hæretica; quamvis enim sic contrahendo regulariter à peccato non excusetur, nulla tamen bonorum suorum parte propterea spoliatur. quia textus c. decrevit cit. de sola uxore, & hujus dote loquitur. Neque obstat, quòd vir, & uxor sint correlativa, & dispositum de uno correlativorum censetur etiam dispositum de altero illorum arg. l. si quis 1. C. de Cupress. ubi Gottofredus ait, Argumentum à Correlativis dari, si emptio est prohibita, & venditio quoque; nam id solum obtinet tunc, quando in utroque est eadem ratio: secus si sit diversa, ut in proposito; quia mulier ob ejus facilitatem, & sexus fragilitatem, & quia subjecta marito est, graviori periculo perversionis se exponit nubens marito Hæretico.

tico, quam vir, quare cum non sit adæ-
quate eadem ratio in viro, quæ in muliere,
non est extendenda hæc poena ad virum.
Sanch. n. 23. Barbof. n. 6. Passerin. n. 7.
Pirh. n. 67. Schambog. n. 38.

147 Dub. 5. cui applicari debeant bona
Clericorum, tum Laicorum confiscata
propter Hæresin? R. bona Laicorum
Hæreticorum confiscata, spectato Jure
communi Canonico, in terris Ecclesiæ ap-
plicantur fisco Ecclesiæ, in terris verò Im-
perij fisco Sæculari c. *vergentis* 10. b. tit.
ubi distinguendum est inter bona immobilia,
& mobilia; nam ista pertinent ad fiscum
loci, in quo fit confiscatio; quia mobilia
bona non territorio adhærent, sed per-
sonæ damnatæ, eamque sequuntur Clar. §.
fin. q. 78. n. 27. Sanch. l. 2. mor. c. 20. n. 34.
Pirhing n. 73. not. 2. illa autem, scilicet im-
mobilia applicantur fisco domini loci, ubi sita
sunt, & quidem illi, cui damnatus de Hæ-
resi immediate subjectus est, modò Impe-
rii merum, & Regalia habeat, ideoque &
jus confiscandi. Farin. *prax. crim.* q. 190.
n. 167.

148 Quoad bona clericorum, cum di-
versa illa sint, opus est distinctione. Nam
1. bona, quæ ad Ecclesiam, cui præfunt, quo
ad proprietatem, & ad Clericos solum
quoad administrationem & usum fructum
spectant, ut sunt domus, prædia, & similia,
ex quibus Clerici reditus percipiunt, non
confiscantur ob Hæresim Clericorum, qui
illa possident; & Judex illa confiscans Ex-
communicationem ipso Jure incurrit, à qua
quidem absolvere Ordinarij possunt, non ta-
men antea, quam plenè satisfactum sit illis,
à quibus pecuniæ extortæ sunt, præterquam
in articulo mortis. Clem. *nolentes* 2. post
pr. b. tit.

149 2. Bona Clericorum acquisita ratione
Beneficij Ecclesiastici non fisco, sed Eccle-
siæ, cui inservierunt, applicari debent, pro-
ut habetur c. *excommunicamus* 13. §. *damna-
ti* 1. b. tit. & notant Clar. §. *Hæresis* n.
13. Covar. l. 2. var. c. 9. n. 12. Azor.
p. 1. l. 8. c. 12. q. 14. Sanch. c. 20. cit. n.
24. Farin. q. 190. n. 160. Palao D. 5. p.
14. n. 3. Vivian. in c. 13. cit. §. *damnati*,
Barbof. *ibid.* n. 7. Pirhing *hic* n. 69. Reif-
fentuel *ibid.* n. 306. Ratio est, quia
de bonis, intuitu Ecclesiæ acquisitis,
Clerici de Jure communi testari nequeunt,
sed ea post illorum obitum penes Ecclesiam
remanere debent c. *quia nos* 9. & c. *relatum*
12. de *Testam.* sed ea, quæ in hæredes ex-
traneos transmitti nequeunt, etiam trans-
mitti non possunt in fiscum loco hæredis
extranei succedentem, ergo &c.

150 3. Bona Patrimonialia, & quasi Pat-
rimonialia Clericorum deferuntur fisco, &

quidem spectato Jure communi, & seclusa
consuetudine, Ecclesiastico, quia sunt ac-
cessoria personæ, eamque sequuntur.
Sanch. c. 20. cit. n. 22. Palao p. 14. n. 2.
Farin. q. 190. n. 154. Vivian. in c. *vergentis*
cit. pr. Fagnan. *ibid.* n. 1. & seqq. Barbof. in
c. 13. cit. n. 8. Dixi, spectato Jure commu-
ni, & seclusa consuetudine; nam in quibus-
dam Regnis consuetudine receptum est, ut
bona immobilia, imò & mobilia Clerici
committentis crimen Hæresis deferantur ad
fiscum Principis Sæcularis: quam consuetu-
dinem approbat Covar. c. 9. cit. n. 12.
Neque consuetudo ista contraria est aut SS.
Canonibus, aut rationi: non SS. *Canoni-
bus*; quia hi, dum statuunt bona Cleri-
corum esse applicanda Ecclesiæ, solum
loquuntur de bonis intuitu Ecclesiæ acqui-
sitis: non rationi; quia bona patrimonialia,
& quasi patrimonialia Clericorum tran-
seunt ad quoscunque Clericorum successo-
res, ergo etiam ad fiscum Sæcularem tran-
sire possunt, si ita consuetudine inductum
sit.

Quare circa hoc, & universim cir-
ca applicationem bonorum confiscatorum
ob Hæresim servandæ sunt consuetudines,
quæ in varijs Provincijs variæ, ac diversæ
sunt, modò eæ sint rationabiles, legitime
præscriptæ, & conformes Juribus, ac
Constitutionibus Papalibus. Farin. n. 187.
Pirhing l. cit. not. 3.

Dub. 6. an Hæreticus, qui confisca-
tionem bonorum suorum ipso Jure incur-
rit, ante sententiam declaratoriam criminis
teneatur ea fisco tradere? Affirmant
Castro l. 2. de *leg. pœnal.* c. 10. §. 11. &
l. 2. de *Just. Hæret. punit.* c. 5. §. 6. Ant.
Gomez tom. 3. var. c. 2. n. 5. fin. & non-
nulli alij; quia aliàs possideret, & retineret
ea bona contra voluntatem fisci, qui est do-
minus illorum, quod est illicitum. Sed
communior; & probabilior cum Navar.
Man. c. 23. n. 66. Ant. Gomez l. 3. var. c.
ult. n. 3. qui sibi contrarius est, Azor p.
1. l. 8. c. 12. q. 3. Sanch. l. 2. mor. c. 22.
n. 7. Suar. D. 22. de *Fid. scilicet* 3. n. 3. Farin.
prax. q. 190. n. 12. Palao tr. 4. D. 5. p. 18.
n. 2. negat, hanc obligationem esse delin-
quenti imponendam; quia nimis grave foret
in seipso facere executionem pœnæ Juris.

Hinc usque ad sententiam decla-
ratoriam criminis possessio bonorum Hæ-
retico, aut horum fautoribus &c. non au-
fertur c. *cum secundum* 19. §. *confiscationis*
b. tit. in 6. Franc. *ibid.* not. 1. §. 2. Surd.
de *aliment.* tit. 9. q. 32. n. 24. Gonzal. in
c. 10. b. tit. n. 12. prop. fin. Barbof. *ibid.*
n. 3. §. 4. & in c. 19. cit. n. 7. Zæf. *hic* n.
15. Pirhing n. 60. not. 1. Schambog. n. 34.
Wiest. n. 66. Reiffentuel n. 304. cujus
possessio ea vis est, ut Hæresis reus circa
ejusmodi bona ante sententiam declarato-
riam

riam quidem non possit facere alienationes voluntarias, utpote quæ jam obligata sunt fisco; possit tamen facere necessarias v. g. ad alendum se, & familiam suam, ad solvenda debita &c. quia prohibita alienatione censetur interdicta voluntaria, non necessaria. Sanch. c. 22. n. 55. Pirhing n. 61. Except. 2.

153 Si tamen sententia declaratoria postea lata sit, etsi lata sit primùm post mortem Hæretici, retrotrahitur illa sententia ad ipsum delicti commissi diem: conf. res postea alienatæ cum fructibus perceptis tunc restitui debentur fisco c. accusatus 8. §. in eo 7. b. tit. in 6. Joan. Andr. ibid. n. 1. Host. in c. 70. eod. Sanch. n. 33. Pirhing n. 60. not. 3. §. n. 61. Wiestner n. 66. Reiffenstuel n. 307. Excipitur, nisi possessor possessiones bonorum, quæ fisco addictæ sunt, legitimè contra fiscum præscriperit, ad quod in crimine Hæresis requiruntur 40. anni, ut possessor præscribat bona defuncti adversus fiscum c. fin. v. si post de præscript. in 6. Pirhing n. 61. cit. Except. 1.

154 IV. Si in Hæresim lapsus Liberos habet, amittit in hos patriam potestatem, ita, ut hi à die commissi criminis ante omnem sententiam sui juris efficiantur c. quicumque 2. §. fin. b. tit. in 6. ubi emancipatio, quæ à parentibus Hæreticis dignoscitur facta, pronuntiatur nullius esse momenti, tanquam facta de hominibus sui juris.

Ex quo sequitur 1. patrem, sic effectum Hæreticum, non posse pupillariter substituere filio suo impuberi. Gloss. in §. fin. cit. V. deserint, Sanch. l. 2. mor. c. 24. n. 6. Palao tr. 4. D. 5. p. 26. n. 13. Barbof. in c. fin. b. tit. n. 3. Passerin. in c. 2. cit. n. 45. §. 46. Pirhing n. 79. Schamb. n. 40. Reiffenstuel n. 301. ex defectu patriæ potestatis, quæ ad substitutionem pupillarem requiritur.

155 Sequitur 2. non esse obligatum filium Catholicum parenti Hæretico extraneam necessitatem extremam præbere alimenta. Decian. tr. crim. l. 5. c. 51. n. 39. §. 68. §. 6. 44. n. 28. Sanch. l. cit. n. 7. Palao n. 14. quia filius, exemptus à patria potestate, reputatur extraneus; extraneus autem non tenetur Hæretico alimenta præbere extra casum extremæ necessitatis. ergo nec filius. Addit tamen Farin. prax. crim. q. 182. n. 13. in casu necessitatis prius subveniendum esse parenti, fratri, vel cognato Hæretico, quàm extraneo, ob sanguinis conjunctionem.

Hæc autem pœna ad receptatores, factores, & defensores Hæreticorum non extenditur; quia c. cit. solum loquitur de

Hæreticis, & pœnæ extendi non debent Sanch. l. cit. n. 5. Farin. q. 197. n. 29. fin. Palao p. 26. n. 15.

V. Servi ab obsequio domini Hæretici liberi fiunt, non ipso Jure statim post lapsum in Hæresim, ut vult Gloss. in c. fin. v. absolutos b. tit. & Abb. ibid. n. 2. Sed post sententiam declaratoriam criminis, ut colligitur ex c. fin. cit. ibi, lapsis manifestè in Hæresim. ergo requiritur, ut Hæresis sit manifesta, nempe judicialiter per Sententiam, quæ est præcipua, & principalis manifestatio. Sanch. l. 2. mor. c. 24. n. 13. ubi ait, illam Sententiam retrotrahi ad diem commissi criminis, sicut supra n. 152. dictum est de Confiscatione bonorum ob Hæresim.

Distingendum tamen est, an servi isti sint Catholici, an verò Hæretici & Infideles. Priores omnino liberi fiunt, nec restituntur, licet dominus, abjurata Hæresi, ad Fidem Orthodoxam redeat, & eique beneficio Principis restituantur bona, quæ ob Hæresim amittit, ut colligitur ex l. Manicheos 4. §. fin. c. b. tit. ubi dicitur, servos in super extra noxam esse volumus, i. e. ut explicat Accursius, liberos fieri volumus. libertas autem, semel acquisita quocunque modo, revocari non debet l. si post 1. & seq. C. §. advers. libert. Posteriores una cum reliquis bonis in dominium fisci transeunt, cum inter bona domini reputentur l. rem in bonis 52. ff. de acquir. rer. dom. nullo autem Jure reperitur hæc libertas eis concessa, Azor. p. 1. l. 8. c. 12. q. 7. Molin. tr. 2. de §. §. J. D. 40. n. 1. v. ceterum, Sanch. l. 2. mor. c. 24. n. 10. §. 11. Farin. q. 197. n. 30. Palao tr. 4. D. 5. p. 26. n. 18. Pirhing ibi n. 81. Reiffenstuel n. 314. §. 315.

Extenditur autem liberatio hæc 1. etiam ad Vasallos, Famulos, Liberos; nam hi non amplius obligantur ad obsequium domino præstandum, c. fin. b. tit. 2. ad debitores; nam liberantur à quocunque debito, & obligatione. Neque obstat, quod c. fin. cit. tantum loquitur de obligatione fidelitatis; quia constitutio hujus cap. ut notat ibid. Gloss. in notat. Abb. n. 1. Pirhing n. 82. & hoc teste communiter alij Canonistæ, id ipsum procedit quoad omnia debita, & quascunque obligationes. 3. ad quascunque obligationes, & Jura, etiam Juramento vallata. Gloss. V. absolutos, Abb. in c. fin. cit. n. 1. §. seqq. Fagn. n. 1. §. 5. Barbof. n. 3. Gonz. n. 1. Pirh. n. 80. Wiestner n. 86. Reiffenstuel n. 309. §. seqq. Neque Hæreticus nomina debitorum jam confiscata, vel obligationem fidelitatis, quæ Vasalli erant obstricti, recipit, etsi postea resipiscat, & reconcilietur Ecclesie, quia obligatio semel extincta non reviviscit can. quaris 129. & ibi

ibi Gloss. V. *contrabatur de consecr. dist. 4.*
 & l. qui res 98. §. *aream s. ff. de Solut.*
 Abb. in c. *fin. cit. n. 4.* Fagnan. *ibid. n. 60.*
 Pirhing *hic n. 82. fin.*

159 Interest tamen, an jam pronuntiata sit Sententia declaratoria criminis vel non. Nam si *primum*, quod aliàs Hæretico præstandum fuisset, si non incidisset in Hæresim præstari deinceps fisco debet, utpote qui succedit in jura delinquentis condemnati de Hæresi. Si *secundum*, debita illa solvi, & obsequia præstari probabilius possunt, & debent adhuc domino Hæretico. Azor c. 12. q. 8. Sanch. c. 24. n. 8. Palao p. 26. n. 20. Pirhing n. 82. quia fiscus ante sententiam saltem declaratoriam criminis bona Hæreticorum non potest occupare c. *cum secundum 19. h. tit. in 8. ibi*, Sententia fuerit pronuntiata, occuparet autem, si debitores Hæreticis non deberent solvere, sed fisco, ergo &c. Ex quo sequitur, quod debita, & obligationes per Hæresim non omnino extinguantur, cum in credito post sententiam succedat fiscus, si alij vocati non sunt. Palao n. 21.

160 Dubitatur, an etiam Hæresis liberet à fide servanda illi, qui de Hæresi condemnatus est? Videtur non esse ipsi servandam fidem. 1. Quia, ut à n. 156. dictum est, Vasalli, Servi &c. liberantur à fidelitate, obedientia, & alijs obsequijs, quæ Hæreticis ipsorum dominis debuissent præstare. 2. Frangenti fidem terrenam fides servanda non est l. *qui fidem 16. ff. de Transact. c. sicut 29. §. un. de Jurejur. & Reg. frustra 75. in 6.* ergo multo minus est servanda Hæretico violanti fidem Divinam. 3. Hussio in Concilio Constantiensi data fides est, atqui hæc, ut Sectarij nostri temporis passim jaclitant, & conqueruntur, eidem servata non est, ergo &c.

161 Sed etsi cum Hæreticis paciscendum non facile sit, si tamen pacta cum ijs inita quadam sint, ea inviolabiliter custodiri, & observari debent, quoties res promissa ex se licita, & possibilis est. Sumitur ex c. *qualiter 3. de Pact. & l. hujus 1. pr. ff. eod.* ubi pacta generaliter, *canonoli 3. caus. 23. q. 1. & l. postliminij 5. §. in pace 2. ff. de captiv. §. postlim. revers.* ubi etiam hostibus servanda dicuntur. Ratio est, quia ad hujusmodi pacta servanda obligat veracitas, fidelitas, & Justitia: quatum prima dicitur nihil promittendum, nisi cum animo se obligandi, & promissa servandi; secunda obligat ad id præstandum, quod est promissum; tertia obstringit ad tribuendum cuique suum: & hoc tamdiu, quamdiu obligatio, ex promissione orta, non est remissa, vel relaxata.

162 Argumenta contraria non urgent. Ad 1. distinguendum est inter pacta publica, & privata: illa absolutè servari de-

bent, si de re licita, quamvis cum Hæreticis, inita sint; ista relaxantur per sententiam declaratoriam criminis, ante illam autem etiam ipsa stringunt. Ad 2. ratio illa tantum probat, quod fides non sit servanda Hæreticis quoad Divina & quæ Religionem spectant; nam pacta publica servari debent etiam Infidelibus, igitur etiam Hæreticis. Ad 3. Concilium Hussio nunquam fidem dedit, sed Imperator Sigismundus ei dedit Salvum conductum, qui quia tantum secundum Jus commune concessus eidem est, illum tutari solum potuit contra violentiam inferendam contra Jus. talem violentiam autem passus non est Hussius, utpote convictus de Hæresi, & propterea mortis reus factus, prout fatentur nonnulli etiam A Catholicis AA. Accedit, quia ipse Hussius fidem Imperatori datam violavit prior arripendo fugam, sibi sub pœna capitali prohibitam, ut bene demonstrat Becan. *de Fid. c. 16. q. 6.* & per consequens male factum non fuisset, si dato, non concessus, fides eidem fracta fuisset.

VI. Denique Hæretici, si pœnis istis insuper habitis, errores suos pertinaciter abjurare noluerint aut in eos abjuratos relapsi, spontè non redierint, Curia Sæculari, præmissa, si Clerici fuerint, Degradatione, sunt tradendi c. *ad abolendam 9. c. excommunicamus 15. pr. h. tit. & c. quoniam 1. eod. in 6.* Clar. §. *Hæresis n. 7.* Menoch. *de arb. cas. 374. n. 1.* Farin. *prax. crim. q. 189. n. 11.* Pirhing *hic n. 84.* Wiestner *ibid. n. 71.*

Dub. 1. an Hæretici pertinaces puniri possint pœnâ capitali? Negârunt id ex VV. Hæreticis Donatistæ, teste S. Aug. *epist. 50.* & ex RR. Hussius, ut patet ex *Concil. Constant. sess. 15. art. 14.* 1. Quia id videtur esse contra morem Ecclesiæ primitivæ, à qua cædes, & vincula aliena fuisse, testis est Athanasius *Apollog. 2.* 2. Quia ipse Servator *Matth. 13. v. 30.* voluit zizania permitti crescere simul cum tritico usque ad messem.

Sed certa est affirmativa Sententia, ut Covar. l. 2. *var. c. 10. n. 10.* Bellarm. l. 3. *de Laicis c. 21. §. 22.* Vallent. *tom. 3. D. 1. q. 11. p. 3.* Suar. *D. 20. de Fid. sess. 3. n. 18. & D. 23. sess. 1. per totam*, Palao *tr. 4. D. 6. p. 2. n. 2.* Engl *hic n. 15.* König *n. 27.* Wiestner *n. 72.* notant. Patet 1. ex c. *ad abolendam*, c. *excommunicamus*, & c. *quoniam cit.* & concordat Concilium Calcedonense *act. 1.* ubi Episcopus Alexandrinus, *Si Eutybes*, inquit, *præter dogmata Ecclesiæ sapiat, non solum pœnâ dignus est, sed & igne.* 2. Ex l. *Manichæos 4. §. in mortem 4. l. Arriani 5. l. quicumque 8. Sc. C. h. tit.* ubi in Hæreticos, post alias minores, tandem exilij, & ultimi supplicij pœna constituta est.

est. 3. Ex ratione ; quia Hæresis est crimen valde enorme , & non solum Religioni , sed etiam paci , ac tranquillitati publicæ maximè contrarium , quod demonstrant clades maximæ , ea incitante illatæ Regnis , atque Provincijs.

166 Et quidem hodie ex consuetudine comburuntur igne , ut testatur Abb. in c. 9. b. tit. n. 13. Clar. §. Hæresis n. 7. Azor p. 1. l. 8. c. 13. v. ultima pœna. Decian. tr. crim. l. 5. c. 42. n. 4. ꝑ. hoc autem , Farin. q. 189. n. 4. Palao p. 2. cit. n. 3. Barbof. in c. 15. n. 3. b. tit. Vallens. hic §. 2. n. 6. Zoef. n. 17. Engl. n. 15. Wagnereck not. 8. Schambog. n. 41. König n. 27. Reiffentuel n. 319. ubi tamen est distinguendum , an ejusmodi Hæretici , de crimine Hæresis condemnati , poenitentes sint , an verò impoenitentes. Si hoc secundum , quandoque etiam vivi comburuntur , præsertim si fuerint Hæresiarchæ , ut notat Farin. l. cit. n. 5.

167 Si primum , ultimo supplicio , nisi relapsi sint , non afficiuntur , sed vel poenâ exilij puniuntur , vel ad trimes damnantur , saltem per triennium , vel ad aliam poenam. Farin. q. 193. n. 85. 88. & seqq. Palao p. 2. cit. n. 1. Fagnan. in c. ad abolendam cit. n. 15. Petra tom. 3. comment. fol. 10. n. 13. Zoef. n. 18. Pirh. n. 92. sin. Reiffentuel n. 325. & 328. potestque hæc poena etiam esse pecuniaria , Farin. l. cit. n. 111. Ratio est , quia licet aliàs ordinariè loquendo poenitentia non liberet à poena mortis per crimen promerita , tamen hoc speciale est in crimine Hæresis , in qua pia Mater Ecclesia nullum vult poenitentem è gremio suo abijcere , sed ad exemplum DEI , qui non vult mortem peccatoris , sed ut magis convertatur , & vivat poenitentes ita misericorditer recipit , ut saltem poenam mortis evadant.

168 Addidi autem , nisi relapsi sint ; nam relapsi , etsi , cum poenituerint , Sacramenta Poenitentiae , & Eucharistia ipsis deneganda non sint , non tamen evitant poenam corporalem , quin , non obstante poenitentia , tradi debeant Curia seculari , ut igni comburantur , non tamen vivi , sed post strangulationem. Gloss. in c. super eo 4. in cas. & V. deneganda b. tit. in 6. Abb. in c. 9. cit. n. 1. Felin. n. 2. Host. n. 9. Clar. §. Hæresis n. 7. Farin. q. 193. n. 32. Palao p. 2. n. 7. Barbof. in c. 9. cit. n. 20. Gonzal. ibid. n. 6. Vivian. in c. 4. cit. pr. 20. tit. in 6. Passerin. ibid. n. 5. Pirhing n. 98. Schambog. n. 42. Reiffentuel n. 320.

169 Excipit Palao n. 7. cit. si Hæreticus relapsus spontè , & à nullo alio præventus , veniat , & manifestet , se in Hæresin abjuratam incidisse ; tunc enim putat poenam mortis evasurum ; rationem dat , quia causa , quare poena mortis Hæreticis relapsis imponatur , est , quod præsuman-

tur fidè converti , & esse incorrigibiles , atqui à nullo præventus seipsum detert , & poenitentiam exoptulat , clarum signum tribuit veræ conversionis , ergo &c. Ampliat Exceptionem istam cum alijs Palao etiam ad casum , quo quis jam est captus ob Hæresin , dummodo fateatur Hæresin , de qua in processu non constabat.

Argumenta contraria n. 164. allata non obstant. Ad 1. Ecclesia primitiva in Hæreticos tam severè non animadvertit , quia propter multitudinem , & potentiam Infidelium tunc dominantium destituebatur viribus ad hoc necessarijs. Ad 2. ex parabola zizaniorum discimus pati Hæreticos , quando eorum extirpacio majora in publicum mala afferret.

Dub. 1. num poenæ temporales , & corporales hæctenus relatæ afficiant etiam Hæreticos in Germania , & Rom. Imperio ? 2. distinguendo inter Hæreticos Laicos , & inter Clericos , qui in Hæresin inciderunt. Quoad Laicos Hæreticos , addictos scilicet , quæ in Imperio tolerantur , poenis istis in foro Seculari locus non est , ob pacta , & foedera publica , primò Pacis Religiosæ , quæ anno 1555. in Comitij Augustanis Confessio Augustana quantum ad immediatos Status Imperij impune tolerari coepit ; Pax Religios. §. doch sollest. deinde etiam Pacificationis Osnabrugensis , ubi privilegia , Augustanæ Confessionis Sectatoribus , seu Protestantibus concessa , etiam ad Calvinistas , qui cum alijs Hæreticis in Pace Religiosa excluderentur , extensa sunt , dum unanimi consensu conclusum est , ut quæ vel in Pace Religiosa , vel in ipso Instrumento Pacis Osnabrugensis Augustanæ Confessionis Statibus , & subditis tributa sunt , etiam ijs , qui inter illos Reformati dicuntur , competant. Instrum. Pac. Osnabr. art. 7. §. unanimi.

Dixi , addictos scilicet , quæ in Imperio tolerantur ; nam caterarum Sectarum , quæ in Imperio non tolerantur , affectis nulla est promissa securitas : hinc ad poenas Jure latas meritò trahi possunt tam in foro Ecclesiastico , quàm in Seculari. Imò etiam quoad Calvinistas dubitat P. Reiffentuel hic n. 342. quia per Pacem Religiosam quam Summi Pontif. non reprobarunt , soli illi , qui Confessioni Augustanæ addicti sunt , non item alterius sectæ immunes à poenis , & participes Jurium , & privilegiorum facti sunt , & licet horum participes facti sint etiam Calvinistæ sub Reformatæ Religionis nomine per Pacem Monasteriensem , & Osnabrugensem , Pax tamen ista positivè reprobata , & irrita declarata est ab Ecclesia per Bullam Innocentij X.

Hinc quamvis in foro Civili Pax ista defacto observetur , ac propterea etiam alij Hæretici , qui Reformatæ Religionis nomen sibi

sibi vendicant, à pœnis immunes esse permittantur, spectando tamen Jura, idem P. Reiffenstuel l. cit. cum P. König hic n. 28. y. addidi existimat, adversus eos procedere posse Judicem saltem Ecclesiasticum, illos temporaliter punire, inque carceres perpetuos detrudere; tum quia Pacta illa Pacis Osnabrugensis ab Ecclesia expressè sunt irritata; tum quia esto, quòd valeant, majorem tamen vim, quàm Legis Civilis habere nequeunt, conf. Ecclesiam nullo modo obligant. Addit tamen laudatus P. Reiffenstuel n. 345. non expedire, ut Judex Ecclesiasticus hujusmodi Laicum propter Hæresin temporaliter, aut corporaliter in his partibus puniat, eò quòd sine publica perturbatione id fieri vix posset, Hæreticis punitionem istam interpretaturis pro violatione Pacis publicæ, & propterea vel ad manutentionem apud Catholicos, vel ad arma apud potentias externas A catholicas conclamaturis.

174 Quidquid sit de pœnis temporalibus, Spiritualibus certè Hæretici etiam

Laici defacto in Germania possunt affici, quippe cum Pontificis solius sit Pœnas has relaxare. Clerici verò, & Religiosi, si in Hæresin incidant, ne quidem temporales evadunt, sed iisdem Pœnis (exceptâ Supplicij ultimi) etiam in Imperio à Judice suo Ecclesiastico executivè affici possunt, & debent, non aliter, acsi Pax nulla unquam conclusa fuisset; tum quia Principes Laici per illum Publicum Tractatum circa personas Ecclesiasticas quoad pœnas illarum statuere nil potuerunt arg. c. que in Ecclesiarum 10. de Constit. tum quia Fœdus illud, seu Pactum quoad easdem personas Ecclesiasticas nec tacitè, nec expressè approbatum fuit ab Ecclesia eximendo Hæreticos à pœnis Juris: imò contrarium hucusque practicavit, & adhuc praticat Ecclesia Clericos, & Religiosos Apostatas deprehensos temporaliter, & corporaliter puniendo, & ad carceres etiam perpetuos detrudendo. Reiffenstuel n. 341. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 3. n. 50.

§. V.

De Judice in crimine Hæresis, Absolutione ab isto, & obligatione vitandi Hæreticos.

S U M M A R I U M.

175. &c. Quinam sint Judices competentes in causa Hæresis?
181. &c. An de illa cognoscere possit etiam Judex Secularis?
183. &c. An cum puniendi ad hunc transmittuntur, examinare processum ab Ecclesiastico Judice institutum?
185. An Judex Secularis Hæreticos possit capere?
186. Et pœnas per SS. Canones latas exaspere?
187. &c. Quis absolvere possit ab Hæresi, & Excommunicatione per eam incur-sa?
191. &c. Quid requiratur, ut Episcopus possit absolvere ab Hæresi occulta pro foro conscientie vi Tridentini?
195. An facultas hæc ipsis concessa per Trid. per Bullam Cœne sit revocata?
200. &c. Quid nunc Episcopi post Bullam Cœne possint quoad absolutionem ab Hæresi?
204. &c. Quam facultatem ab Hæresi absol-vendi habeant Regulares?
207. &c. An ab ista absolvere possint Con-fessarij vi Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi?
209. Quis absolvere ab illa possit in articulo mortis?
210. Vel quando adiri non potest Pontifex?
211. &c. An Hæretici, eorumque credentes &c. sint vitandi?
213. &c. Quæ communicatio cum his sit per-missa?
218. &c. Quæ prohibita?
221. &c. An Principes Catholici possint reci-pere, vel tolerare in suis territorijs Hæ-reticos, & ritus eorum?
224. &c. An, & qualiter cum ijs inire fœdus, uti ipsorum auxilio &c.

175. Quæritur 1. quinam sint Judices com-petentes Ordinarij in crimine Hære-sis? 1. talis 1. est Pontifex; nam hic est Supremus Judex in crimine Hæresis, à quo omnis aliorum Judicum Jurisdictio Spiritualis descendit, & dependet. Farin. prax. crim. q. 186. n. 1. Palao tr. 4. D. 8. p. 12. §. 1. n. 1. Pirhing hic n. 123. Scham-bog. n. 52. Reiffenstuel n. 113. Imò in quaestione, an aliquod dogma Hæreticum sit, necne, solus Papa judicare, & cogno-scere potest. Farin. l. cit. n. 2.

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. 16

2. Legatus à latere, Jure commu-176 ni spectato; quia hic Summi Pontificis vices in omnibus plenissimè gerit: & ideo etiam supra Inquisitores Jurisdictionem habere videtur, ex Constitutione, seu Litte-ris Urbani IV. quarum tenorem recenset Umbert. Locat. in Judicial. Inquisit. V. Le-gatus n. 2. Gundisal. tr. de Hæret. q. 7. n. 8. ubi dixit, quòd in crimine Hæresis in his, quæ jam per Ecclesiam definita sunt, Legatus Sedis Apostolicæ sit Judex com-petens per textum c. ut commissi 12. b. tit.

in 6. Addidi autem *Jure communi Speculatio*; nam de consuetudine Legati Sedis Apostolicæ sine speciali commissione Papæ, vel Supremi Tribunalis S. Inquisitionis non solent se intromittere. Farin. l. cit. n. 4. Palao n. 1. cit. Passerin. in c. 17. n. 7. b. tit. in 6. Pirhing hic n. 123.

277 3. *Episcopus* respectu omnium Hæreticorum suæ Diocesis, sive Clerici illi sint, sive Laici. Host. in c. 9. v. *singuli b. tit.* Joan. Andr. *ibid.* n. 3. Abb. n. 3. Azor. p. 1. l. 8. c. 18. q. 2. Farin. q. 186. n. 5. § *segg.* Palao §. 1. cit. n. 2. Passerin. in c. 17. cit. n. 2. Petra tom. 3. comment. fol. 166. n. 3. Pirhing hic n. 124. Schambog. n. 52. & constat ex *Clem. 1. §. propter quod 1. h. tit.* ibi, *Per Diocesanos Episcopos.* Idque extenditur etiam ad Exemptos à Jurisdictione Episcopali; nam etiam adversus istos procedere potest in crimine Hæresis, non quidem ut Judex Ordinarius, sed ut Judex Delegatus Papæ juxta c. *ad abolendam 9. fin. b. tit.* Petral. cit. Passerin. n. 3. Ratio est, quia ad Episcopum spectat extirpare Hæreses, & lupos à causa arcere. Imò si Episcopus in expurganda Diocesi sua ab Hæreticorum erroribus negligens fuerit, idque certis indicijs constiterit c. *excommunicamus 13. §. ult. b. tit.* ab Episcopali Officio jubetur deponi, & in ejus locum alius idoneus institui, qui velit, & possit Hæreticam pravitatem confundere.

278 4. *Capitulum, Sede Episcopali vacante*, prout constat ex c. *ad abolendam* cit. ibi, *Vel Clerici ipsi, Sede vacante, cum consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum, Hæreticos judicaverint* &c. quia vacante Ecclesia Cathedrali, Jurisdictio manet penes Capitulum, Gloss. in c. *ad abolendam* cit. v. *Clerici*, Abbas *ibid.* n. 4. Decian. tr. crim. l. 5. c. 21. n. 13. Farin. q. 186. n. 177. Palao §. 1. cit. n. 5. Fagnan. in c. cit. n. 13. Barbof. *ibid.* n. 22. Passerin. in c. 17. cit. n. 6. Pirhing hic n. 125. Reiffenstuel. *ibid.* n. 440. Idque procedit, sive Sedes propriè vacet per mortem Episcopi, sive quasi vacet per captivitatem, vel quia propter Litteras Confirmationis non expeditas Episcopus electus administrare non potest. Gloss. in *Clem. 1. v. Sede vacante b. tit.* Farin. l. cit. n. 279. cum cit. Excipiunt, si Clericus in Hæresim lapsus exemptus sit; in hunc enim probabilis non potest procedere Capitulum, ut notant Decian. l. cit. n. 14. Farin. n. 182. Palao n. 6. Petra n. 13. Pirhing n. 125. Reiffenstuel. n. 441. quia Capitulum non succedit Episcopo, nisi in ijs, quæ ei competunt Jure ordinario, non autem, quæ Jure delegato, ac speciali.

279 5. *Prelati inferiores Episcopo*, habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & populum ab Episcopis independentem; nam hi non minus, ac Episcopi procedere possunt in causa Hæresis,

ut notat Molin. tr. 5. de *Juss. D. 28. n. 11.* Palao §. 1. cit. n. 6. fin. Passerin. in c. 17. cit. n. 4. Petra tom. 3. comment. fol. 166. n. 18. Secus est de Prælati non habentibus territorium, etiam Regularibus; nam hi de subditis Hæreticis, vel de Hæresi suspectis cognoscere non possunt, nec illos citare, aut contra illos inquirere, vel procedere ex *Constit. Pauli V. incipit Romanus*, quæ in Bullario est 26. ubi idem Pontifex, abrogatis omnibus privilegijs, prohibuit omnibus Religiosorum Superioribus, ne in hujusmodi causis se ingerant, voluitque eas solum ab Inquisitoribus, aut Ordinarijs cognosci posse: quam Constitutionem confirmavit *Alexander VII. alia Constit. incipit Licet aliàs 8. Jun. 1660.* In Germania tamen, ut notat P. Reiffenstuel hic n. 438, videtur usus, & consuetudo obtinuisse, quòd Prælati Regulares suos subditos etiam in causa Hæresis judicent, & poenis Juris afficiant, ut patet ex praxi; nam casu, quo Regularis Apostata, Hæreticam Sectam amplexus, denuo revertitur, aut capitur, non ab Episcopo, sed à Prælato suo Regulari judicatur, ac punitur.

Præter enumeratos Judices, qui Ordinaria potestate cognoscere de crimine Hæresis possunt, alij de eo cognoscere possunt potestate Delegata. Inter hos præcipuum locum obtinent *Inquisitores S. Officij*: de quibus supra à n. 74. Potest autem potestas hæc etiam alijs delegari, præcipuè verò ab Episcopo Vicario suo: independentem à qua delegatione Vicarius Generalis non est Judex competens in crimine Hæresis; quia ob gravitatem istius criminis requiritur specialis commissio, ut colligitur ex *Trid. sess. 24. c. 6. de reform.* ibi, *17. is Episcopis, & non eorum Vicarijs committuntur.* Farin. q. 186. n. 13. Palao §. 1. cit. n. 8. Passerin. in c. 17. cit. n. 9. Petra fol. 166. cit. n. 16. Pirhing n. 124. Reiffenstuel. n. 439. Idem de Vicario Capituli Sede vacante etiam docent Farin. n. 13. & Palao n. 8. cit. Sed attentis principijs, quæ *Libr. 1. Tit. 28. n. 30.* jeci, videtur tenendum contrarium; quia secundum ibi dicta Vicarius Capituli Sede vacante vi generalis suæ commissionis potest omnia, quæ Sede plena indigent speciali mandato, quòd Capitulum omnem suam potestatem, & Jurisdictionem transfuderit in Vicarium à se electum, ergo nisi hoc alteri specialiter delegaverit, hic ejus Vicarius etiam cognoscere poterit de causa Hæresis.

Dub. 1. an de causa Hæresis cognoscere etiam possit Judex Sæcularis? N. olim hunc potuisse cognoscere de crimine Hæresis, quando ejusdem insinulatus est Laicus, prout cum Decian. tr. crim. l. 5. c. 25. n. 8. communis DD. habet, & sumitur ex *l. cunctos 1. §. fin. C. de Summ. Trinit.*

Trinit. & l. quicumque s. §. fin. C. b. tit. Hodie verò ejus cognitio, sive principaliter, sive incidenter in Judicium deducatur, est fori Ecclesiastici tantum. Ita Gloss. in c. ut inquisitionis 18. V. quoque b. tit. in 6. Joan. Andr. ibid. V. prohibemus, Farin. prax. q. 186. à n. 153. Palao D. 8. cit. p. 14. n. 2. Thom. del. Ben. de Immun. c. 16. dub. 22. n. 12. Petr. Barbof. in l. Titia 34. ff. solut. Matr. num. 37. August. Barbof. in c. 18. cit. n. 7. Passerin. ibid. n. 23. §. 24. Fagn. in c. ad abolendam 9. n. 10. §. 21. Vincent. Petra tom. 3. comment. fol. 6. n. 7. §. 8. Honor. hic n. 1. Pirhing n. 126. §. 127. Schambog. n. 53. Wiestner n. 36. Reiffenstuel n. 431. & patet ex c. ut inquisitionis cit. §. prohibemus quoque, cujus Constitutionem confirmavit Julius III. Const. incipit. Licet edita 1551. Gregorius XIV. Const. incipit Quia alijs edita 28. Maji 1591. ibi, De crimine Hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertinet, neque Curia Sæcularis se quoquo modo intromittat. Ratio est, quia Hæresis crimen merè Ecclesiasticum est, utpote contra quod ex Divinis Litteris, & secundum SS. Canones pronuntiandum est. atqui de re merè Ecclesiastica, sive incidenter, sive principaliter in Judicium deducatur, cognoscere, & pronuntiare non Sæcularis, sed Ecclesiasticæ est potestatis c. de venimus 2. & c. seq. de Judic. c. tuam 3. de Ord. cognit. c. lator 7. qui sil. legit. c. si Judex 12. de Sent. Excomm. in 6.

15. Proceditque hoc, etiam si facti sit quaestio, ut notat Barbof. in l. Titia cit. n. 32. Pirhing n. 127. coroll. 3. Wiestner n. 37. Reiffenstuel n. 432. Ratio est, quia facti quaestio, de Hæresi mota, à Juris quaestione ferè separari non potest: quod inde ostenditur; quia ut Hæreticorum poenæ quis affici possit, non sufficit conitare, quòd Hæretica verba protulerit, sed ulterius investigandum an ea protulerit ex scientia, vel ex ignorantia, ex malitia, vel simplicitate, cum, vel sine pertinacia, verbo, an adsint omnia, quæ ad Hæresim poenæ Ecclesiasticis obnoxiam, à SS. Canonibus exiguntur. hoc autem est Juris quaestio. ergo &c.

183 Dub. 2. an Magistratus Sæculares, quando in Hæreticos, de Hæresi condemnatos, ac sibi traditos, jubentur debita animadversione procedere, possint examinare justitiam causæ, & processus, ab Inquisitoribus, & Episcopis instituti? 22. non posse, sed absque dilatione, h. e. intra quinque, vel sex dies sub poena Excommunicationis latæ sententiæ in eisdem debent procedere c. ut inquisitionis §. prohibemus cit. junct. Gloss. V. percussum, & Const. Innoc. IV. §. VIII. apud Farin. q. 186. num. 162. Palao p. 14. cit. n. 5. Fagnan. in c. ad abolendam n. 23. Barbof. in c. ut inquisitione R. P. Schmalzgrueber L. V. T. I.

nis n. 4. Reiffenstuel hic n. 452. Eandem Censuram incurrun Magistrate Sæculares, quando Judicibus Ecclesiasticis, brachium ipsorum invocantibus, succurrere renunt in ijs, quæ Officium Inquisitionis spectant, præsertim in incarceratione, & custodia reorum c. ut inquisitionis cit. post pr. Palao num. 10. Imò recusantes exequi sententiam ab Inquisitoribus laram, vel omittentes his succurrere pro Hæreticis puniendis, quando requisiti sunt, suspecti redduntur fautoræ, ac proinde adversus ipsos, tanquam fautores Hæreticorum procedi potest. Farin. n. 164. Palao n. 10. cit.

Excipitur, si Judex Laicus evidenter, & certò, absque ulla tergiversatione, & Processus visione cognoscat, eum, qui de Hæresi condemnatus est, & sibi traditus ad executionem supplicij capitalis, innocentem esse, quòd v. g. testes falsi adversus ipsum deposuerint; tunc enim superfedere ab executione Sententiæ debet, & Judicem Ecclesiasticum de innocentia condemnati informare; quia secundum dicta Libr. 1. Tit. 32. n. 30. innocens, qui ut talis certò est cognitus, non potest in causa capitali ad poenam sanguinis secundum allegata, & probata condemnari, quòd intrinsecè malum sit innocentem occidi. igitur neque exequi sententiam ab alio laram, Judex poterit tali casu, si ipse certò cognoverit condemnatum innocentem esse. Aliud est, si nullitas, vel injustitia Sententiæ ex se evidenter non appareat; tunc enim nullo modo licet Judici Sæculari executionem sententiæ contra Hæreticum differre prætextu nullitatis, aut probationes recipere ad effectum superfedendi ab executione illius, & remittendi causam Superiori. Neque obstat, quòd in alijs delictis hoc fieri possit, quando in continenti probationes offeruntur; nam in crimine Hæresis ob favorem Fidei hoc prohibitum esse videtur ex Rescripto Innocentij VIII. ut alijs cit. notat Palao p. 14. cit. n. 7. fin.

Dub. 3. an Principes, ceterique 185 Magistratus Sæculares saltem possint de Hæresi diffamatos, aut suspectos capere, & incarcerare? 24. posse, non tamen, ut ipsimet causam examinent, sed ut Ecclesiasticorum Judicium examini eos remittant. Clar. §. Hæresis n. 5. Farin. q. 186. n. 158. Petra tom. 3. comment. fol. 7. n. 13. Pirhing hic n. 127. coroll. 3. Schambog. n. 53. Wiestner n. 38. Reiffenstuel n. 455.

Similiter valida, imò & laudabilia 186 sunt illorum Statuta quibus Processus, à locorum Ordinarijs, & Inquisitoribus adversus Hæreticos instituti, promoventur, poenæque, Hæreticis per SS. Canones inflictæ, augentur, & exasperantur. Decian. tr. crim. l. 5. c. 25. n. 2. §. sed §. Canonistaram, Farin. l. cit. n. 157. Palao

lao n. 4. Wiestner n. 39. Reiffenstuel n. 456.

487 Quæritur 2. quis absolvere possit ab Hæresi, & Excommunicatione per illam incurfa? R. interesse, an crimen Hæresis occultum adhuc sit, & ad forum contentiosum nondum deductum, an contra ad hoc deductum. *Occultum* censetur non tantum tunc, quando per testes probari non potest, ut putat Garc. p. 2. de Benef. c. 11. n. 46. sed quod non est publicum, seu notorium, & famosum: quare etiam si delictum ab aliquibus sciatur, & probari possit, si tamen non sciatur à majore parte vicinæ, aut Parochiæ, vel Collegij, seu Communitatis, in qua saltem decem sint personæ, adhuc debet censei occultum. Azor p. 1. l. 8. c. 10. q. 9. Sanch. l. 2. mor. c. 11. n. 19. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 39. n. 21. Pirhing hic n. 39. not. 4.

488 Ad forum contentiosum deductum tunc censetur, quando accusatio, vel denuntiatio coram legitimo Judice facta est, & reo intimata, isque citatus; quia citatio est primus actus Judicij. Sanch. l. cit. n. 21. & l. 8. de Matr. c. 34. n. 58. Alij verò probabiliter putant, non posse dici delictum deductum ad forum contentiosum, nisi post litis contestationem; quòd ante hanc non dicatur propriè coeptum Judicium, nec lis mota, cum forum verè contentiosum dici non possit, nisi super delicto commisso negando, vel confitendo contendatur, per quem actum etiam in criminalibus inducitur contestatio litis. Barbof. alleg. cit. n. 29. & duob. seqq. Pirhing n. 40. Id verò intelligendum est, dum lis pendet, seu durat Judicium; nam si delinquens ob defectum plenæ probationis in foro externo sit absolutus, delictum iterum sit occultum, neque dici potest cum effectu deductum ad forum contentiosum. Sanch. c. 11. cit. n. 21. Barbof. n. 32. & 33. Pirhing n. 40. cit.

489 His prænotatis, dicendum, si Hæresis crimen ad forum contentiosum deductum est, Jure ordinario, & præscindendo à specialibus privilegijs, absolvere ab ea posse solum Summum Pontificem, cui absolutio illius reservata ratione Excommunicationis illi annexæ, ut omnes fatentur. Et afficit reservatio hæc non tantum Censuram, sed etiam ipsum peccatum Hæresis per se, & immediatè, aded, ut etsi quis bona fide absolutus sit ab eo, qui potestatem absolvendi à Censuris Pontifici reservatis non habet, absolutio ista sit irrita etiam quoad culpam, ideòque peccatum illud reus iterum confiteri debeat: quod non esset necessarium, si peccatum Hæresis non esset reservatum per se; tunc enim absolutio peccati valeret, & ita absolutus absolvi solum deberet à Censura. Sublata verò Excommunicatione Hæresis per eum,

qui legitime potest ab ea absolvere, cessat quoque peccati reservatio, ita, ut quilibet Confessarius ab Hæresis peccato tunc possit absolvere; quia non reservatur, nisi ut conjunctum cum Excommunicatione, Hinc etiam, qui aliquo ex capite ob Hæresim, quam commisit, Excommunicationem non incurrit, e. g. quia ignoravit, Censuram istam annexam Hæresi esse, etiam non incurrit reservationem culpæ. Sanch. l. 2. mor. c. 8. n. 5. & c. 11. n. 1. Suar. D. 21. de Fid. sect. 4. n. 2. Palao tr. 4. D. 4. p. 3. pr. Pirhing hic n. 37. Schambog. n. 48. Reiffenstuel n. 346.

Si crimen Hæresis occultum, & necdum ad forum contentiosum deductum sit, absolvere ab Hæresi, & Excommunicatione ipsi annexa pro foro conscientie ex vi Trid. sess. 24. c. 6. de reform. potest Episcopus. Quo nomine hic veniunt 1. Episcopi etiam electi, & confirmati tantum, etiam non sint consecrati, imò nec Sacerdotes; quia absolutio ab Excommunicatione non est absolutio Sacramentalis, etiam si fiat in foro conscientie tantum, sed actus Jurisdictionis. Sanch. l. 2. mor. c. 11. n. 3. fin. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 39. n. 2. & 3. Palao p. 3. cit. §. 1. n. 2. 2. Capitulum, Sede vacante, ut docet Sanch. l. cit. n. 4. ex ratione; quia potestas ista, licet per privilegium, Jure tamen communi, & Jurisdictione ordinaria competit, quæ autem sic competunt, transeunt in Capitulum: contrarium tamen alijs cit. defendit Palao n. 3. 3. Prælati alij inferiores, Jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem habentes in territorio suo. Avil. de Censur. p. 7. D. 10. dub. 6. Sanch. n. 5. Palao n. 4. Pirhing n. 38. contra Garc. p. 7. de Benef. c. 11. n. 13. §. 17. & quosdam alios; quia potestas hæc, in Decreto isto Concilii concessa Episcopis, ad Jurisdictionem pertinet, sed hujusmodi Prælati Jurisdictione Episcopali gaudent, solumque differunt ab Episcopis in consecratione. 4. Prælati Regulares exempti, quamvis non habeant territorium, non quidem vi Trid., quia hoc tantum loquitur de habentibus Diocesim propriam; sed ex concessione S. Pij V. qui speciali privilegio Facultatem, per Trid. concessam Episcopis, extendit etiam ad Prælatos conventuales exemptos Mot. propr. apud Roderiq. tom. 1. qq. Reg. 9. 61. art. 9. fin. Palao n. 5. & 6. Pirhing n. 39. contra Sanch. n. 7.

Dub. 1. quid requiratur, ut Episcopus in foro conscientie absolvere possit ab Hæresi occulta, & incurfa per eam Excommunicatione? R. 1. requiritur, ut subditos & Diocesim habeat; nam ratione subditorum in propria Diocesi datur Episcopo hæc potestas; conf. Episcopi Titulares de Jure absolvere nequeunt

quetunt ab ista Excommunicatione. Pirhing, hic n. 38.

2. Ut non exerceat potestatem istam, nisi in subditos: quo nomine tamen ex consuetudine generali Ecclesie, & benigna interpretatione Summi Pontificis, veniunt omnes illi, qui à tali Episcopo percipere possunt Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, adeoque non tantum illi, qui domicilium, vel quasi in Diœcesi ipsius habent, sed etiam peregrini, & vagabundi. Garc. p. 11. de Benef. c. 10. n. 139. in Declar. 3. Sanch. c. 11. cit. n. 8. 9. § 17. Barbos. alleg. 39. n. 4. § 5. Palao p. 3. cit. §. 1. n. 3. Pirhing n. 39.

192 3. Non possunt Episcopi absolvere ab Hæresi etiam pro foro conscientie extra Diœcesim existentes, prout patet ex Decreti verbis in Diœcesi sua. Neque obstat, quod hæc absolutio sit actus Jurisdictionis voluntariæ, quem erga subditum exercere Episcopus, etiam extra Diœcesim suam existens, potest; nam verba prædicta concessionem restringunt ad Diœcesim, consequenter restringunt dictam Regulam. Barb. alleg. cit. n. 7. Palao n. 13. Pirhing n. 39. §. deinde.

193 4. Absolutionem ab Hæresi imperitii Episcopus solum potest per seipsum, non autem per Vicarium; nam ita expressè Trid. in Decreto allegato sess. 24. c. 6. de reform. fin. ibi, *Eis tantum, non eorum Vicarijs.* Excipiunt aliqui, quod Episcopus pro una, vel altera vice possit alicui specialiter committere facultatem absolvendi ab Hæresi occulta. Azor p. 1. l. 8. c. 10. q. 11. Sanch. c. 11. cit. n. 23. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 2. Contrarium tamen tradit Molin. tr. 5. de 1. § 1. D. 18. n. 2. Gutier. l. 1. qq. can. c. 13. n. 29. Garc. p. 11. de Benef. c. 10. n. 113. Palao n. 20. & alij; quia dictio taxativa *Tantum* apposita Episcopis restringit potestatem absolvendi ab Hæresi ad eorum personas, & particula *Non* posita ante Vicarios excludit omnes Vicarios, etiam ad unum, vel alterum casum deputatos. Et hæc Sententia videtur esse probabilior, & tutior, cum opposita non sit certa ante Declarationem Summi Pontificis: quare antequam ille mentem suam ulterius declaret, abstinendum erit ab hujusmodi commissione in casu etiam speciali; quia in dubio illicitum est uti Jurisdictione, de qua non constat, an sit concessa, præsertim si Excommunicatio annexa sit, ut notat Molin. l. cit. quem sequitur Pirhing n. 40. cit. su.

194 Imò vix in aliquo casu potest contingere, ut necessarium sit Episcopum absolutionem ab Hæresi committere alicui alteri, ut bene advertit Palao l. cit. quia ut in ejusmodi commissione prudenter procedat Episcopus, debet instructus esse

causa sufficiente ad delegandum: cum autem de causa requisita ad delegationem illam specialem instruitur, etiam potest instrui de causa requisita, & conveniente ad tollendam Censuram. Poterit ergo eo casu Episcopus, etiam reo absente, Censuram absolutione sua tollere, quâ sublatâ, peccatum Hæresis non amplius reservatum est, sed ab illo absolvere quis Confessarius potest, ut adeo non amplius necessarium sit ejus absolutionem delegare alteri.

Dub. 2. an facultas, ex relato Trid. Decreto concessa Episcopis, per Bullam Cœne quoad absolutionem ab Hæresi, & cæteris casibus contentis in Bulla ista sit revocata? Verba Bullæ §. *ceterum* sunt sequentia: *Ceterum à prædictis sententijs nullus per alium, quam per Romanum Pont. nisi in articulo mortis constitutus - - absolvi potest, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis - - etiam Episcopali vel alia majori dignitate præditis - - per Nos, & dictam Sedem, aut cujusvis Concilij decreta - - concessorum &c.* Et additur Excommunicatio adversus eos, qui sic absolvere præsumpserint. Ita Gregorius XV. & Urbanus VIII. in suis Bullis.

195 Negant hanc potestatem Episcopis pro foro conscientie in peccato Hæresis occulto revocatam esse, Bannez 2. 2. q. 11. art. 4. dub. 2. post Concl. 2. arg. 3. Navar. l. 5. conf. 11. q. 1. de Privil. Gutier. l. 1. qq. can. c. 13. fin. Henriq. l. 6. de Pœnit. c. 14. n. 7. & alij plures, quos referunt Sanch. Barbos. & Palao n. seq. allegandi. Fundamentum illorum præcipuum est, quia correctio Juris vitanda est, quoad fieri potest, potest autem vitari, si dicatur, quod Bulla Cœne revocans, qualvis facultates absolvendi ab Hæresi, & alijs casibus expressis, intelligi debeat, de peccatis publicis, & de absolutione, quæ etiam in foro externo proficit.

197 Sed dicendum, longè probabilius per Clausulam Bullæ relatam Episcopis revocatam esse facultatem absolvendi ab Hæresi, & reliquis ibi contentis. Ita Azor p. 1. l. 8. c. 10. q. 10. Marc. Ant. Genues. prax. Archiep. Neapol. c. 67. n. 10. edit. 1. Sanch. l. 2. mor. c. 11. n. 27. Suar. D. 21. de Censur. sect. 3. n. 5. Garc. p. 11. de Benef. c. 10. n. 115. Farin. prax. q. 192. n. 61. Bonacin. D. 1. de Censur. q. 3. p. 2. n. 1. §. 1. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 40. n. 23. §. seqq. Palao tr. 4. D. 4. p. 3. §. 1. n. 22. Sperell. decis. 112. n. 61. Pignatell. tom. 1. consult. 291. n. 2. Vinc. Petra tom. 3. comment. fol. 178. n. 10. Reiffenstuel hic n. 362. sicque teste Marc. Ant. Gen. l. cit. declaratum est à Gregor. XIII. & Clem. VIII. item à S. Congr. Conc. teste

teste Fagnan. in c. quoniam de Const. n. 29. & c. dilectus de temp. ordin. n. 31. ubi subjungit: Unde frustra nonnulli ex RR. TT. hunc articulum in controversiam adducunt, cum habeamus claram determinationem S. Congreg. Similes Declarationes refert Pialec. prax. p. 1. c. 1. art. 3. n. 6. & seqq. & novissimam in Causa Hibernia 9. Septembr. 1690. Vinc. Petra fol. 178. cit. num. 19. Hinc merito Alexander VII. in Decreto edito 1665. inter alias propositiones tanquam scandalosam damnavit sequentem: *Sententia offerens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutioem Hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de oculis criminibus sermo est, anno 1629. die 18. Julij in Consistorio S. Congreg. Eminentissimorum Cardd. visa, & tolerata est.*

198 *Fundamentum præcipuum istius Sententiæ est, quia in Bulla Cœnæ Papa prohibet, ne quis absolvat ab Hæresi, aliisque casibus in Bulla contentis, prætextu facultatum, vel privilegiorum, quæ Episcopis, aliisque sunt concessa à Sede Apostolica, etiam vi Decreti alicujus Concilij, sed nullum Concilium, nisi Trid. hanc facultatem absolvendi in casibus oculis concessit Episcopis. ergo illam intendit Pontifex revocare. Argumento, quod in contrarium n. 196. allegatum est, locus duntaxat est stante dubio de intentione Legis; fallit autem, si aliunde constet de contraria intentione Legis, seu dispositione Legislatoris, prout fit in proposito.*

199 *Excipiunt aliqui Episcopos in Regionibus ab Urbe remotioribus, quos putant sententiam priorem, scilicet facultatem hanc, Episcopis à Trid. datam, per Bullam Cœnæ revocam non esse, in praxi tuto amplecti posse, & propterea Lutheranos, Calvinistas, ac similes Hæreticos, qui Catholicam Fidem suscipere volunt, per se, vel per Delegatos suos in foro conscientiaæ absolvere non tantùm ab Hæresi occulta, sed etiam à notoria, & publica; quia ob nimiam frequentiam, & multitudinem absolvendorum adest necessarium, & evidens impedimentum eos mittendi Romam, & ideo tales casus Papales fiunt Episcopales. Laym. de Jurisd. Ordin. concl. 72. Wagnereck in c. licet de Offic. Vicar. in 6. Pirhing hic n. 42. Sed hoc verum credo, non vi Trid. vel alterius Juris, sed vigore specialium facultatum, quæ hujusmodi Episcopis remotioribus à Sede Apostolica singulis quinquennijs renovandæ concedi solent, ut notat P. Wiertner hic n. 50.*

200 *Dub. 3. quam ergo potestatem absolvendi ab Hæresi nunc post Bullam Cœnæ habeant Episcopi? R. I. in foro externo, non obstante hac Bulla, pos-*

sunt Episcopi, præsertim Germaniæ, ubi alij Inquisitores Hæreticæ pravitatis non sunt, de Jure communi absolvere Hæreticos (dummodo non sint Hæresiarchæ, seu novæ Hæresis auctores, aut relapsi) ab Excommunicatione Papæ reservata, tanquam Delegati Sedis Apostolicæ, abjurata prius Hæresi, & injunctâ illis Pœnitentiâ, prout sumitur ex c. ut officium 11. pr. v. si verò b. tit. in 6. & tradit ibidem Franc. n. 2. Farin. prax. q. 192. n. 52. Palao tr. 4. D. 4. p. 3. §. 1. n. 23. Pirhing hic n. 42. Reiffenstuel ibid. n. 369. quæ absolutio illis prodest etiam in foro interno, ita, ut ablata Excommunicatione, à quovis Confessario approbato à peccato Hæresis absolvi possint, cum è contrario absolutio, data in foro interno, non profit pro foro externo: & hinc absolutus in foro interno, si postea de Hæresi acculetur in foro externo, non evadit poenas illius fori. Sanch. l. 2. mor. c. 12. n. 7. Barbof. alleg. 40. n. 29. Pirhing n. 44. v. illud. Ratio est, quia utrumque Judicium tendit ad diversos fines; nam pœnitentia, in foro interno imposita, tendit ad hoc, ut satisfiat DEO, & imponitur tanquam medicina propriæ salutis: at pœna fori Judicialis externi tendit ad vindictam publicam, ut satisfiat Reip. pravo Hæretici exemplo lætæ.

2. *in foro etiam interno possunt Episcopi ab Hæresi absolvere Jure Ordinario, & lectulo speciali privilegio, eum, qui ob impedimentum perpetuum, vel ad longum tempus duraturum prohibetur adire Pontificem. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 5. Dian. p. 12. tr. de conclav. resol. 24. Palao p. 3. cit. §. 5. n. 4. & seqq. Reiffenstuel hic n. 372. Ratio est, quia casus Papales, superveniente impedimento, adevandi Papam, fit Episcopalis: imò ejusmodi impedimentum perpetuum, vel diu duraturum reputatur tanquam verus articulus, seu periculum mortis in ordine ad impetrandam dictam absolutionem ab alio, quàm à Papa, cum moraliter certus sit, se ante mortem non posse adire Papam pro obtinenda absolutione.*

Neque ita impeditus tenetur mit-tere Procuratorem, vel scribere ad S. Pœnitentiarum pro obtinenda absolutione à Censuris Papæ reservatis Sanch. l. 2. mor. c. 13. n. 14. Dian. l. cit. resol. 24. §. nec in tali casu, Barbof. alleg. 41. n. 7. Palao §. 5. cit. n. 7. Bassaus v. absolutio n. 30. Reiffenstuel n. 393. Ratio est, quia Jura solùm exigunt, ut reus personaliter adeat Papam, seu ut Apostolico conspectui se præsentet, ergo si hoc non potest, ad aliud à Jure non impositum minimè tenetur, Dixi, minimè tenetur; nam ad majorem quietem conscientiaæ rectè fit contrarium, idque in praxi observatur, præ-

ferim in locis ab Urbe parum distantibus, ut notant DD. apud Dian. *resol.* 25. *asserit.* 3.

803 Debet tamen Episcopus, in casu Impedimenti absolvens Hæreticum, ita assoluto sub juramento injungere, ut cessante impedimento, Romam se conferat, ut notat P. Reiffenstuel *n.* 375. ubi addit in locis remotioribus Episcopos censerī præscripsisse Jurisdictionem absolvendi impeditos sine onere. Imò ut Laym. *lc.* 6. *cit.* *n.* 6. testatur, in Germania Lutherani, & Calvinistæ, qui Catholicam Fidem amplecti volunt, quamvis notoriè tales sint, ordinariè ne quidem ad forum contentiosum Episcopi deducuntur, sed mox instituntur in Fide Catholica, & post abjuramentum Hæresis ad Confessionem Sacramentalem, & susceptionem S. Evcharistiae admittuntur.

804 Dub. 4. quam potestatem absolvendi ab Hæresi habeant Regulares? R. in his spectanda sunt Ordinum singulorum privilegia. In Societate JESU vi privilegij Apostolici concessi à Julio III. *22. Oct.* 1552. & confirmati à Gregorio XIII. *22. Mart.* 1584. ab Hæresi, & Censuris, per eam contractis (extra Hispaniam & Italiam juxta Declarationem Clem. VIII. *16. Nov.* 1592.) quoscunque absolvere in foro conscientiae potest Præpositus Generalis, & facultate ab eo communicata Provinciales, qui etiam eandem facultatem alijs sibi subiectis communicare possunt, ut habetur in *Compend. privil. dicit. Societ. V. Absolutio* §. 7.

805 Item omnibus Superioribus Societatis, & ijs, quibus ipsi communicaverint, concessa est facultas absolvendi ab Excommunicatione, incurfa ob Lectionem Librorum prohibitorum, in ijs locis, ubi possunt nostri ab Hæresi absolvere, prout concessit Gregorius XIII. *6. Nov.* 1583. & habetur in *cit. Compend. V. Absolutio* §. 4. ubi advertitur, si Libri prohibiti editi sint ad stabilienda Dogmata Hæretica, facultatem hanc à Superioribus communicari non posse, nisi in casibus particularibus, perspectis circumstantijs. In ijs verò Provincijs, in quibus peculiari concessione amplior esset facultas, liber permittitur illius usus. Palao *tr.* 4. *D.* 4. *p.* 3. *S.* 3. *n.* 3.

806 Respectu illorum, qui sub obedientia Societatis vivunt, facultas absolvendi ab Hæresi, & à relapsu in Hæresim reservatur Præposito Generali, communicatur tamen Provincialibus sub onere monendi poenitentem, quòd sub poena peccati mortalis maneat obligatus, vel se Præposito Generali presentandi, vel rem eidem manifestandi eo modo, qui servata Sigilli integritate, Provinciali videbitur. Palao *l. cit.* *n.* 2.

807 Dub. 5. an sub facultate generali absolvendi à casibus reservatis, concessa per

Bullam Cruciatæ, vel Jubilæi, comprehendatur etiam facultas absolvendi ab omnibus casibus contentis in Bulla Cœnæ, & sub facultate absolvendi à reservatis in eadem Bulla, facultas absolvendi ab Hæresi?

Affirmant Sot. in 4. *dist.* 22. *q.* 2. *art.* 3. *concl.* 5. Cordub. *Summ.* *q.* 8. Reginald. *prax.* *l.* 8. *n.* 53. *fin.* Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 165. & novissimè Gobat. *tr.* 3. *Quinar.* *n.* 248. ubi notat, intrepidè à Confessarijs Septentrionalibus hanc sententiam in usum deduci, cum præsertim Hæresis in Hisce partibus propter suam frequentiam vix annumeranda sit Casibus Pape reservatis.

Sed meliùs negativam defendunt 208 Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 10. *q.* 12. Garc. *p.* 11. *de Benef.* *c.* 10. *n.* 209. Sanch. *l.* 2. *mor.* *c.* 10. *n.* 12. Suar. *D.* 21. *de Fid. sect.* 4. *n.* 21. Farin. *prax. crim.* *q.* 192. *n.* 63. Barbof. *de Offic. Episc.* *alleg.* 40. *n.* 31. Palao *tr.* 4. *D.* 3. *p.* 3. *S.* 4. *n.* 2. Vinc. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 120. *n.* 25. Pirhing *hic n.* 44. Reiffenstuel *ibid.* *n.* 405. & apertè constat 1. ex Decreto Alexandri VII. edito 23. Mart. 1656, ubi ad removendam omnem dubitandi occasionem, & ne circa id imposterum ullo tempore hesitari contingat, cum Hæresis crimen præ ceteris gravissimum speciali notâ dignum sit, decrevit, facultatem absolvendi ab Hæresi in Jubilæis, vel alijs similibus concessionibus non censerī comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab Hæresi. 2. Confirmat usus, & stylus Curie Romanæ, qui hac in parte vim Legis habet; nam in Jubilæis post concessam facultatem absolvendi à reservatis in Bulla Cœnæ, interdum exprimi solet *Etiam ab Hæresi*, quod superfluum foret, si sub generali illa clausula contineretur. 3. Ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus Reg. 81. in 6. at Hæresis absolutio est ita reservata, ut verisimiliter Papa eam non concessisset; neque enim verisimile est Papam tot Legibus, in favorem Fidei latis, derogare voluisse, nisi id exprimat.

Dub. 6. quis absolvere ab Hæresi, & Excommunicatione per eam incurfa possit in articulo mortis? R. in hoc absolvere potest quivis Sacerdos. Habetur *can. de his* 9. *§* *seqq. caus.* 26. *q.* 6. & in Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de Sacram. Eoenit.* ubi dicitur ita in Ecclesia DEI custoduum semper fuisse: & ratio additur, *ne hac ipsa occasione aliquis pereat.*

An verò ab ea absolvere quivis Confessarius etiam possit extra verum mortis articulum etiam illum, qui impedimento perpetuo prohibetur, ne possit adire Papam, controversia est inter DD. Affirmant Palao *tr.* 4. *D.* 3. *p.* 3. *S.* 5. *n.* 4. &

& alij *citt.* à Dian. p. 12. de *Conclav. resol.* 24. §. sed hic oritur. Rationem dant, quia, ut paulò antè dictum est, Sacerdos quilibet absolvere potest ab Hæresi in mortis articulo, sed juxta dicta n. 201. perpetuum impedimentum, & mortis articulus æquiparantur.

210 Sed meliùs tenetur negativa cæm Navar. *Man. c. 25. n. 90.* Barbof. de *Offic. Epif. alleg. 41. n. 32.* Dian. l. cit. *resol.* 25. Reiffenstuel *hic n. 396.* quia Major illa Propositio, in Argumento Sententiæ adversæ allata, intelligenda solum est de vero mortis articulo, in quali non est sic impeditus. *Conf.* quia potestas absolvendi impeditus datur tantum Episcopis c. de *cætero 11.* & c. *ca. noscitur 13. de Sent. Excomm.* ergo non competit simplici Sacerdoti.

Excipitur, nisi impediatur etiam accedere Episcopum, & alios facultate absolvendi præditos; tunc enim poterit absolvi à quovis Sacerdote approbato, & potestatem habente absolvendi à peccatis mortalibus, ut bene advertit Tambur. de *casib. reserv. c. 12. §. 2. n. 28. §. 34.* Stoz. *Tribun. l. 2. n. 68.* Reiffenstuel n. 397.

211 Quæritur 3, an Hæretici, eorumque credentes, fautores &c. sint vitandi? *Certum est*, antiquo Jure fuisse vitandos, ut quoscunque alios Excommunicatos, publicè quidem, si notorij erant, privatim autem, si occulti. De Jure recentiori non eadem sententia DD. est; nam Gutier. l. 1. qq. *can. c. 1. n. 42.* & Suar. D. 9. de *Censur. sect. 2. n. 10.* putant esse vitandos, postquam ut Hæretici denunciati sunt, etiam sine mentione Censuræ. Sotus verò in 4. *dist. 25. q. 1. art. 1. post concl. 3.* vitandos asserit, etiamsi denunciati non sint, modò notorium sit esse Hæreticos, aut horum fautores &c. quòd notorium sit, ei crimini ipso Jure annexam esse Excommunicationem, & sic denunciati sint satis.

212 Sed dicendum, non esse vitandos, nisi nominati denunciati sint, quamvis sint manifesti, & notorij. Ita Navar. de *Orat. Misell. 47. n. 2.* Azor p. 1. l. 8. c. 13. q. 7. Sanch. l. 2. *mor. c. 9. n. 3.* Pirhing *hic n. 23.* Wiestner *ibid. n. 45.* cum alijs. *Proceditque hoc* probabilius, etiamsi aliquis ut Hæreticus nominatim condemnatus, & declaratus sit, ut notat Sanch. l. cit. n. 4. quia vigore *Extrav. ad evitanda.* à Martino V. in Concilio Constantiensi edita, & relata apud Navar. *Man. c. 27. n. 35.* nemo vitare tenetur Excommunicatum, nisi Censura à Judice contra personam denunciata sit specialiter, & expressè; hoc autem non fit sola denuntiatione Hæresis, vel alterius criminis, habentis Excommunicationem sibi ipso Jure annexam, ergo &c. Addit Sanch. l. cit. *fin.* idem dicendum,

et si quis declaretur per sententiam esse Hæreticus, & incurrisse omnes illius poenas, vel apertius, omnes Censuras; quia nondum est specialiter, & expressè denunciatus ut Excommunicatus, & multi adhuc nescirent sub Censuris comprehendi Excommunicationem. Schambog. *hic n. 20.* Reiffenstuel *ibid. n. 22.*

Ex quo sequitur 1. licitum esse Catholicis, præsertim in locis, ubi permixti cum Hæreticis vivunt, uti in Germania, Gallia, Anglia, cum Hæreticis conversari, civilia cum ijs commercia inire &c. quia quamvis sint publici Hæretici, non tamen sunt expressè, & nominatim denunciati. Azor p. 1. l. 8. c. 11. q. 1. Sanch. c. 9. cit. n. 5. Pirhing n. 24. Reiffenstuel n. 4.

2. Licitum est cum Hæreticis nondum denunciatis simul orare, & rem Divinam, ac Conciones cum eis audire, comitari funus, eoque ad Sepulturam deducere; sicut enim licitum est communicare cum vivo Hæretico non denunciato, & eum comitari ad rem per se licitam, ita & cum mortuo deducendo eum ad Sepulturam. Navar. *conf. 12. n. 7. b. tit.* Azor c. 11. cit. q. 4. Sanch. n. 7. Pirhing n. 24. *coroll. 2.* modò id non fiat 1. animo favendi Hæreticis ut Hæretici sunt (quia hoc intrinsecè malum est) sed solo affectu humanitatis, & amicitia. 2. Dummodo id fiat sine scandalo, & offensione Catholicorum, & sine communicatione in ritibus, & ceremonijs Hæreticorum. 3. Dummodo Hæretici sepeliantur in loco profano; nam si comitarentur ad Sepulturam in loco Sacro, comitarentur ad rem illicitam, & cooperarentur peccato sepeliendum, Navar. *Sanch. Pirhing l. cit.*

3. Licitum est Catholico adire templum Hæreticorum, & in ejus preces fundere ritum Catholicum, vel Conciones eorum audire, si ex justa causa fiat, v. g. ut famulus dominum suum comitetur, vel ut errores Ministri Hæretici annotentur ad confutandum, modò absit scandalum, & periculum propriæ perversionis, Azor c. 11. cit. q. 4. Becan. *tr. de Fid. c. 9. q. 5. n. 7.* Laym. l. 2. *tr. 1. c. 11. n. 5.* Sanch. l. 2. *mor. c. 4. n. 26.* Pirhing l. cit. *coroll. 3.* Reiffenstuel *ibid. n. 24.* Neque id est per se signum professionis fæisse Religionis, cum audire Conciones Hæreticas sit quid indifferens, & ordinari possit ad alios fines malos, & bonos.

4. Licitum est Catholico in prædictis locis filium Hæretici ex Baptismo suscipere, si hic ritu, & modo Catholico, non Hæretico, aut Schismatico ministretur; quia id nullo Jure prohibitum est. Non tamen ordinariè, & sine gravi causa licebit vice versa, ut Catholicus adhibeat Hæreticum in Patrum filij sui; quia juxta Canones Eccle-

fit Patini officium est susceptum è Baptismo instruere in primis Fidei Rudimentis: ideoque Hæreticus hoc munus obire non potest. Navar. l. 1. conf. 1. n. 67. de Confess. Azor c. 11. q. 9. Sanch. c. 9. n. 12. Pirhing n. 26. coroll. 5. Videantur, quæ dixi Libr. 4. Tit. 11. n. 75. & seqq.

5. Possunt filij Hæreticorum admitti ad Scholas Catholicorum, etiamsi jam adulti sint, & erroribus Hæreticorum imbuti; quia non sunt nominatim denunciati: non tamen possunt filij Catholicorum adire scholas Hæreticorum, ob periculum perversionis. Navar. l. cit. n. 64. Azor q. 8. Sanch. n. 11. Pirhing coroll. 6. Reiffenstuel n. 24.

18. Contrà 1. illicitum est Catholicis à Parochis, & Episcopis Hæreticis Sacramenta recipere, sive Baptismi extra casum necessitatis, sive Eucharistiæ, sive Pœnitentiæ, sive alia, si inde oriatur scandalum, vel periculum perversionis, vel si Sacramentum ritu Hæretico ministratur: quamvis quantum præcisè est ex vi Hæresis, & Excommunicationis, id non sit directè prohibitum, si Hæretici illi non sint nominatim denunciati, vel notorij percussores Clericorum, adeoque non sint vitandi Sanch. n. 10. & in extremo vitæ periculo etiam Sacramentum Pœnitentiæ ab Hæretico Presbytero rite ordinato percipere esse licitum, docet Azor c. 11. cit. q. 10. quia tunc Excommunicatus etiam denunciatus non caret Jurisdictione.

2. Generaliter loquendo illicitum est Catholicis contrahere Matrimonium cum Hæreticis, quamvis illud sit validum; tum quia id specialiter prohibitum est Jure Ecclesiastico can. cave 15. & can. seq. caus. 28. q. 1. tum quia præbetur alijs scandalum; tum quia per tale Matrimonium conjux Catholicus exponit se, & liberos periculo perversionis, & quia Sacrilegium committitur, dum profanatur Sacramentum, illudque Hæretico administratur. Sanch. n. 9. Videantur, quæ dixi Libr. 4. Tit. 6. n. 132.

3. Universim vitandi Hæretici sunt in rebus Divinis: & quidem Jure Divino in tribus sequentibus casibus. 1. Si ex communicatione cum illis in hujusmodi rebus apud Catholicos oriatur scandalum, & offensio, vel si ex ea suspicio nascatur, quod Catholicis Hæreticorum ritus, mores, & dogmata verbo, signo, vel facto profiteantur. 2. Si ex communicatione in his rebus periculum animæ Spirituale immineat, videlicet perversionis in Fide, aut Catholicæ Religionis contemptus. 3. Si Catholicus cum Hæretico habeat commercium in crimine, ob quod fuit excommunicatus. Extra hos casus non Jure Divino, sed Canonico tantum Hæretici in rebus Sacris vitandi sunt. Azor R. P. Schmalzgrueber L. V. T. I.

c. 10. q. 2. Pirhing n. 22. Schambog. n. 18.

Dub. 1. an Principes Catholici recipere, vel tolerare in suis territorijs Hæreticos, vel ritus eorum possint? Ordinariè loquendo non posse illos recipere, vel tolerare, & multò minùs eorum ritus, seu exercitium, seu Religionis, seu Sectæ: sed tenentur illos ubique locorum repellere, vel expellere. Patet explicitis utriusque, Canonici c. ad abolendam 9. §. statuimus, c. excommunicamus 13. §. moneantur 3. b. tit. c. ut officium 11. §. statuimus eod. in 6. Civilis verò l. omnes 2. & Aulh. Gazarov c. eod. tum quia Hæresis gravissimum, & DEO maximè injuriosum delictum est; tum quia eorundem tolerantia occasionem præbet scandalo, periculo perversionis gravissimo: imò in ea Republica, ut loquitur S. Ambrosius 3. Offic. Vix firma esse possunt pacis jura, inter quos est fidei bellum: quod experientia passim oculis oberrans probat.

Dixi Ordinariè loquendo; nam tollerari, imò recipi Hæretici, ut inter Catholicos degant, possunt. 1. Si prudenter consideratis omnibus, id omnino necessarium videatur vel ad majus malum, puta dissidij, aut perturbationis Reip. impediendum, vel ad majus bonum, puta ipsorum Hæreticorum conversionem, procurandam, Laym. l. 2. tr. 1. c. 17. n. 4. Reiffenstuel h. n. 146. 2. Si Hæreticis per pacis, aut alium contractum, vel pactum ex objecto suo non malum, nec invalidum per Principem Catholicum fuit promissum, ut in territorio aliquo recipiantur, vel recepti tolerentur; nam fides publica cuique servanda est, etiam Paganis, Judæis, & Hæreticis à quovis etiam Catholico. Laym. l. cit.

Monet tamen idem Layman, liber 223 tatem Religionis Hæreticis permissam, multòque magis permissam adeo perniciosam esse salutem animarum, ac cuius Reip. ut inter mala ejusdem maxima censerit debeat: ideoque Catholicis Principibus, relictè omnia considerantibus, & in DEUM confidentibus, non facilè malum aliquod gravius videri possit, cujus vitandi causam Hæreticis subditis suis libertatem exercitij Religionis promittere, aut juramento confirmare liceat.

Dub. 2. an, & qualiter Principes Catholici in bello, quod intenditur, vel actu jam geritur, sub certo foedere auxilium præbere Hæreticis, aut istos in auxilium vocare contra alios, præsertim Principes Catholicos, vel cum illis foedus, ut vocant, defensivum, & offensivum inire possint de mutuo auxilio ferendo contra quoscunque?

Certum est 1. non posse Principes Catholicos præbere Hæreticis auxilium, aut

aut istud ab ipsis petere ad bellum sive defensivum, sive offensivum injustum, sive sine justa causa suscipiendum, aut susceptum contra Catholicos, vel etiam contra A catholicos. Ita omnes teste P. Reiffensuel *hic n. 157.* Patet ratio; quia tale bellum intrinsicè malum est, talèque foret, etiamsi ejusmodi Princeps ad illud prosequendum non uteretur Hæreticorum auxilio.

225 *Certum est 2.* gravissimè peccare Principes Catholicos, si pecunijs, armis, militibus, annonâ, aut alio modo Hæreticis vi foederis succurrant ad bellum, quod isti contra Principes Catholicos gerunt, aut gerere intendunt pro dilatanda sua, & infirmanda nostra vera Religione, præsertim in bello offensivo, aut defensivo Religionis; quia hoc nihil aliud est, quàm Hæresin propugnare, & veram Religionem oppugnare: & propterea hoc facientes excommunicantur in *Bulla Cœna §. 7.*

226 *Certum est 3.* non licere Principi Catholico promittere, aut præbere auxilium Hæreticis etiam in bello justo adversus alios, præsertim Catholicos Principes, aut populos cum conditionibus Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ præjudiciosis, seu talibus, ut inde certò prævideatur oriturum grave damnum, vel præjudicium ejusdem. Reiffensuel *n. 159.* & patet ex *Bulla Cœna §. cit.*

227 *Certum est 4.* non licere Principi Catholico ad bellum, etsi aliàs justum, pro conservandis, vel recuperandis bonis temporalibus jure sibi debitis invocare in auxilium Hæreticos, aut foedus cum ipsis inire, vel pactum contra alios præsertim Principes, & populos Catholicos cum conditionibus Ecclesiæ, ac Religioni, Catholicæ graviter præjudiciosis, aut si exinde certò scaturum prævideatur grave damnum, seu præjudicium Ecclesiæ, ac Religioni Catholicæ; nam bonum hujus commune, utpote Spirituale, & à quo innumerarum pendet salus animarum, semper præferendum est bonis temporalibus, prout omnes fatentur.

228 *Difficilis est, an liceat Hæreticos juvare, vel illorum auxilium implorare, aut foedus cum ipsis inire, si hoc fiat cum conditionibus honestis, & Ecclesiæ, ac Religioni Catholicæ nequaquam præjudiciosis, nec aliunde eidem Ecclesiæ, vel Religioni periculum, aut damnum ex tali foedere imminere prævideatur?* Negant non pauci, existimantes, nunquam fieri posse, ut foedus cum Hæreticis inea- tur, vel auxilium eis præstetur, aut petatur ab eisdem, quin vel scandalum, vel præjudicium Ecclesiæ, & Religionis directè, aut indirectè sequatur.

229 Sed dicendum, regulariter quidem, & ordinariè illicitum, & graviter pecca-

minosum esse Principibus Catholicis inire foedus cum Hæreticis, illòsque in bello etiam justo juvare, vel auxilium illorum invocare contra alios saltem Catholicos Principes, dari tamen aliquos casus, in quibus id licitum est, tunc videlicet, quando nullæ adhibentur conditiones Ecclesiæ, vel Religioni graviter præjudiciosæ, simulque moraliter apparet, quòd ex tali foedere, vel auxilio nec scandalum, nec grave aliquod damnum, vel præjudicium Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ sequi valeat: & multò magis quando tale foedus redundat in certum emolumentum Ecclesiæ, aut necessarium est ad averendum longè majus Ecclesiæ, vel Religionis damnum.

Quòd ordinariè, & regulariter illicitum sit, constat 1. ex S. Scriptura, ubi DEUS similia foedera cum Infidelibus graviter prohibuit, & contra agentes severè punivit, ut passim exempla extant in eadem Scriptura. 2. Ex Oraculis Summorum Pontif. SS. Patrum, & aliorum DD. qui hujusmodi foedera gravissimè improbarunt sæpius, licet non exprimerentur conditiones Ecclesiæ præjudiciosæ. 3. Ex ratione: quia ordinariè ex hujusmodi foederibus scandalum, & damnum Ecclesiæ, ac Religioni Catholicæ directè, vel indirectè sequitur, quippe cum Hæretici, quantumcunque arcto foedere Catholicis colligati, ob implacabile tamen, quòd gerunt, nostræ Religionis odium, semper, ubi minimè præviderur, Ecclesiæ, & Religioni nocere, suamque sectam promoverè allaborent, ut plurimis exemplis demonstrant Pignatell. *tom. 9. consult. 185.* ubi quidem tantum loquitur de foedere inito cum Infidelibus, sed eadem ratio pugnat etiam de eo, quòd initur cum Hæreticis.

Quòd verò sub conditionibus allatis h. citata esse possint ejusmodi foedera, ostenditur ex ratione, quia foedus cum Hæreticis inire, vel auxilium ab eis petere, aut hoc ipsis præstare non est ex se, & ex natura sua malum, sed tantum ratione scandali, & periculi damnorum, quæ Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ exinde plerumque imminet. igitur licita erunt, quando moraliter certum videtur, abesse omne tale periculum, & multò magis, quando aperte conspicitur, inde sequi commodum, & emolumentum Ecclesiæ, vel averti majus ejusdem malum. *Conf.* Quando Catholicus aliquis privatus injustè, & sine omni causa vellet occidere alium Catholicum, non est dubium, quin iste contra illum in auxilium vocare posset Hæreticum ponè stantem. ergo id licet etiam Principi Catholico ad defensionem boni publici, servatis conditionibus suprâ positis.